

III 746.026
F.S.
18

I M A G O
INCLYTAE
IN TRANSSYLVANIA
NATIONIS SICULICÆ
HISTORICO-POLITICA.

EX
PROBATISSIMIS HISTORIIS,
ET CUM PRIMIS
LEGIBUS PATRIIS,
ATQUE
COMITIORUM DECRETIS
SIVE
ARTICULIS DIAETALIBUS,
ADUMBRATA.
AUCTORE
JOSEPHO BENKŌ,
SOCIETATIS SCIENTIARUM BATAVO-HARLEMEN-
SIS MEMBRO.

EDITIO SECUNDA.

98307 R_o
CISINII,

Typis Martini de Hochmeister, Typogr.
et Bibliop. Privil. Anno 1837.

Die 5. Maj. 1791 Claudiopoli, Imprimatur.

G. JOANN. NEP. ESZTERHÁZY mpr.

Reimprimatur. Cibinii, 3. Junii 1836.

FRANCISCUS JÁKÓBI mpr.

Libr. Revisor.

02907

CONSPECTUS OPUSCULI.

CAPUT I.

	Pag.
De Ortu, Nomine, et Progressu Siculo- lorum	1

CAPUT II.

De Distinctione eorum in Primores, Primpiles, Pixidarios etc.	35
--	----

CAPUT III.

De Muniis ac Obligationibus Siculorum	43
---------------------------------------	----

CAPUT IV.

De Juribus, Immunitatibus, atque Pri- vilegiis eorundem	52
--	----

ADITAMENTA.

Pag.

- I. Vetustae Leges Siculorum de Anno
1555 *in dialecto hungarico* 73
- II. Nomina et Series Transsilvaniae Du-
cum, Vajvodarum, Vice-Vajvodarum,
Comitum Siculorum, Principum,
Gubernatorum, Generalium Commen-
dantium, Episcoporum, Cancellario-
rum Aulicorum, Thesaurariorum R.,
Statuum Praesidentium, Supremor.
Prov. Commissariorum, Praesidium
Tabulae Regiae, Praesidium Ex-
actoratus, Comitum Nationis Sa-
xonicae 84.



I M A G O
NATIONIS SICVLICÆ.

C A P V T I.

DE ORTV, NOMINE, ET PROGRESSV
SICVLORVM.

§. I.

Transsilvaniam equidem a compluribus diversæ originis Gentibus inhabitari, Orbi Erudito sic satis notum est: ex iis tamen nonnisi Tres sunt Nationes quæ jure Civitatis gaudent, nempe Hungarica & Siculica Originariæ ac hæreditariæ, nec non Saxonica ab antiquo legetenus inter Status recepta. Ceteri vero Populi, qui una cum ipsis majore vel minore numero Provinciam incolunt, *advenarum* solummodo indolem ac rationem habent, et *Nationum Toleratarum* nomine veniunt.

1. Extranei, sive publicis Comitiorum votis, sive jure uxorio, in numerum Patriæ Nobili-

bilium, titulo *Indigenarum* relati; uti etiam Personae Nationum Toleratarum, ex ignobili statu aliquando exemptae, *Nobilitatis Hungaricae*, praerogativa, qua non est prorsus deterior *Siculorum*, gaudere apud Transsilvanos censentur.

2. *Nationes Toleratas*, uti sunt *Valachi*, *Armeni*, etc. dico pro *Advenis* reputari, sensu *Isidori*, post Christum natum a. 620 Episcopi Hispalensis, Historicique et Grammatici latini, qui differe inter *Inquilinum* ac *Advenam* docet, dum scribit: *Inquilini enim sunt, qui emigrant, et non perpetuo permanent. Advenae autem incolae adventitii perhibentur, sed permanentes.* Ex his enim apud Transsilvanos Nationibus, aut *jure civico*, sive praerogativa Liberorum *Oppidorum*, gaudent, uti *Armeni*; atque adeo Provinciam haud deserunt: aut *subditi* sunt, vel Imperanti, vel Dominis Directis (*Terrestribus*), ut *Valachi*, exceptis paucissimis; proptereaque illi, ceu vernae, potestate ex Patria emigrandi destituuntur.

§ II.

Has inter Inclitas *Tres Nationes* Transsilvanicas, politico licet ordine *Siculica* secunda sit; utpote, in publicis provinciae tabulis, inter *Hungaricam*, quae prima, et *Saxonicam*, quae tertia est, a multis seculis collocata: antiquitate nihilominus utrasque profecto centenis aliquod annis, ab haereditaria sua in finibus Transsilvani-

nicis possessione atque habitatione, plurimum vincit.

Saxones etenim, Germanicae pro-sapiae Natio, circa annum nati Salvatoris 1142, e Saxonia maximam partem, sed et Flandria, ac, ut autumare licet, aliis quoque regionibus, a Geyza II., Hungariae Rege, in Transsilvaniam sunt evocati et admissi, atque jure Civitatis donati.

Hungari vero Transsilvani, ejusdem cum Hungariam colentibus originis, anno 862, aut paulo post, e Scythia asiatica in Daciam, hoc est, Moldaviam, Transsilvaniamque, et harum viciniam adpulerunt; ac post sumtam hic quietem in Hungariam anno 889 pedes promoverunt. Sed

Siculi, vera Hunnorum Attilanorum progenies, ab anno circiter 376, quo eorum Majores Transsilvaniam, adjacentesque regiones, suae armorum jure potestati subjecerant, avita his in oris possessione, multo per tot secula sanguine retenta, potiuntur.

1. De *Saxonum*, tempore Geysae II., qui ab anno 1141, ad 1160, fasces Regni Hungariae tenuit, in Transsilvaniam adventu, atque conditione, plenum perhibet testimonium, *radicale Nationis Privilegium Andreanum*, ab

Andrea II., Rege Hungariae, a. 1224 ipsis indultum, ac nonnullis etiam Historiis patriis insertum.

2. *Hungarorum* similiter et *Hunnotorum*, atque adeo *Siculorum* etiam, in Transsilvaniam et conterminas plagas circa dicta tempora ingressum, praeter Scriptores Byzantinos, non obscure testantur cunctorum ferme Regnorum Europaeorum Annales; luculentius vero Historici domestici: sed luculentissime ac copiosissime horum etiam omnium, ex evolutis innumerorum Auctorum voluminibus, Doctissimus *Georgius Pray*, in *Annalibus veterum Hunnotorum, et Hungarorum*, item *Dissertationibus Historico-Criticis*; utut de *Siculorum* origine Viro oculatissimo a vero, ut inferius commonstrabitur, vehementer aberrare contigerit.
3. Fundamenti loco omnibus iis, quae in sequentibus dicentur, multo facilius intelligendis, inserviet, si praeoccupando connotabimus, ternos consanguineorum Hunnotici generis Populorum ad has oras adventus, scilicet, *Hunnotorum, Avarum, ac Hungarorum*. Sic itaque
 - a. Hunnoti, Japheti posterii, quos Caucasum montem accoluisse, indeque multis itineribus Maeotin versus progressos, Historicorum oracula testificantur, circa annum 376, in *Daciam* pervenerunt, eamque subjugarunt; hinc paulo post ulterius ad occidentem progressi, *Jazygiam* subegerunt; et demum a. 378 potiozem *Pannoniae* partem occuparunt. Ex his tandem oris varia atque cruenta bella pluribus Europae regionibus,

occasum ac meridiem versus sitis, inferentes, diversis earundem terrarum populis per integrum prope seculum dominati sunt: donec, videlicet, defuncto Attila, Duce eorum famosissimo, et filiis ejus ob imperium inter se dissidentibus, fracti intestinis tumultibus Hunni, e caedibus superstites, ditone ejecti atque repulsi sunt; paucis eorum, quorum posteri sunt *Siculi* hodierni, in Transsilvania remanentibus. Hunni hi apud Scriptores nominantur etiam *Chuni*, *Urgi* et *Ugri*; immo auctore Evagrio, Lib. 3. cap. 2. olim *Massagetæ* quoque dicti fuerint. Nomen vero *Hunnorum*, quorum idiomate multa lingvæ hebraeae vestigia deprehenduntur, non inepte Philippus Melanchton ab hebraico *Chanah* sive *Hana*, quod castra metari, item in defixis domiciliis vel tentoriis habitare, significat, deducere nobis videtur; quod Hunni, in possessis successive locis, fixis laribus probabiliter usi fuerint; quum plerique alii Scythiae habitatores, stabilibus sine sedibus, fugientibus similes, curribus et carris de loco in locum circumiverint. Et profecto *Hon* sive *Honn* hodieque lingvæ hungarica *domi*, hinc item *Honnos* (a quo non procul *Hunnus* abest) *domi se retinentem*, ex his denique *Honya*, *habitationem* significat.

- b. *A v a r e s*, Hunni similiter genere, secunda vice ex Asia septemtrionali ad has oras delati sunt. Scilicet, hi ad extremum ultra Volgam fluvium agentes, a vicinis pressi incolis, circa medium seculi VI-ti Europæ adpropinquarunt, et cum reliquiis Hunnorum ex Europa depulsis (*not. b.*), ceu tribulibus suis, in unam gentem coaluerunt.

Deinde anno 553 sub Duce suo *Chagano*, foedus perpetuum cum Rege Longobardorum *Alboino*, bellum adversus *Cunimundum*, Gepidarum regem, gerente pepigerunt, et ex eo, devictis Gepidis, Dacia potiti sunt. Postea vero, evocatis a. 566 ex Pannonia in Italiam a *Narsete* Longobardis, Pannoniae quoque potioris possessionem a. 568, ex percusso foedere, adepti sunt. Has itaque terras, sub gentilibus suis Principibus, potenter tenuerunt, usque annum 803, quo a Carolo Magno victi sunt in Pannonia, et Regibus Galliae subditi, quoad Hungari ex Asia boreali advenientes, et Avarum fratrum societatem ineuntes, a. 889 jugum gallicum excusserunt. Annales eruditissimi *Desericii*, de Avaribus, magno cum fructu legi possunt. Quod demum adinet ad *Avares* nomen, id quod hunc populum a propriis regis adpellatione obtinuisse putat *Diaconus* de Gest. Longob. Lib. I. c. 27. probabilius a munimentis suis in Hungaria structis, quae patrio sermone *Város* et cum articulo a' *Város* dicebant, a Germanici vero sanguinis hominibus *Rhingi* sive *Ringi* (a *Ring*), hoc est, circuli vocabantur, adepti fuerint. De his sepimentis jucundum est audire Clariss. *Joannem Severini*, *Commentationis Historicae de veteribus Incolis Hungariae cis nobis ultra --) Danubianae* cap. 6. sequenti modo scribentem: *Monacho S Gal-*
„li et Aventino Scriptoribus: Terra Avarum
„novem circulis (Hringis vel Ringis) cin-
„gebatur, tutandi causa factis. Ambitu suo
„30 circiter milliaria occupaverat Ringus.
„Septus erat aggere militari, seu fossa.
„Porro crebri stipites, truncique abiegni,
„querni, fagini in terra defixi erant. His
„item

„item contrarij iungebantur e regione vicinorum pedum intervallo; id ubi aut salicibus constratum limove completum erat, cespitibus integris contegebatur. Latitudo itaque huiuscemodi sepimenti (Rhingi) extendebatur 20. pedibus, totidem altitudo eminebat. Obseri solebat utrinque hoc genus valli salicibus, ulmis, populis aliisque, quae putatae propagine sarciunt locum senescentium. Portas habebant perangustas. Intra hosce aggeres, ita vicinet villae erant locatae, ut de aliis ad alias vox humana posset exaudiri.“ Conf. *Pray Annal Avar.* p. 279. 280.

c. Hungari, Graecis Scriptoribus Turci saepe dicti, Hunnici itidem sanguinis populus, tertia vice e Scythia Asiatica, per plurimarum gentium matre, septem, ut creditur, Ducum signa sequuti, a. 862 in Moldaviam et Transsilvaniam nostram adpulerunt, eodemque anno *Arpadum* supremum Ducem elegerunt. Sumta in Dacia quiete, a. 889 ad Tibiscum ac Danubium pervenerunt, unde bellicae fortitudinis et formidinis fama totam mox Europam impleverunt, *Svatoplucum* devicerunt, etc. sicque cum fine seculi noni, se in Hungaria penitus stabiliverunt. Haec in res, praeter Thuroezium, Bonfinium, Timonem, Prayum, etc. vid. laudati *Severini* Comment. Hist. Cap. 8. Vnde vero nomen *Hungarus*, lingua vernacula *Magyar*, et plura alia Hunnis Hungarisque, adtributa fuerint, nunc non disquirimus. Legi autem de hoc argumento possunt lusus etymologici, quos habet *Otrókocius* in *Originibus Hungaricis*, item *Behamb* in *Notitia Hungariae*, aliique passim.

Hoc

Hoc tamen unum monemus, mirum non esse, *Hunnos* aequae ac *Auares*, *Hungarosque*, diversarum Nationum idiomate diversissime fuisse nominatos: quum hodierno etiam more idem eveniat; sic, e. gr. qui latine loquentibus *Germanus*, nec non *Teuto* et *Alemannus* vocatur, idem Hungaris *Nemet*, Gallis *Allemand*, Judaeis *Aschenazi* (ab *Aschenaz*, nepote Japheti, Gen. X. 3.), Valachis *Nidmtz*, propria vero sua lingua *Deutsch* sive *Teutsch* nuncupatur.

§. III.

Prout igitur rei totius de Sicularum origine seriem e probatissimis Scriptoribus discimus, *prima vice* (§. II. not. 3 a), Hunni Septemtrionales, a Tataris pressi, e Scythia Asiatica Europae pedetentim adpropinquantes, Volgamque fluvium transmittentes, victis, domitis, ac demum in armorum societatem admissis Alanis, sedes eorum, quae a Volga ad Tanaim porrigebantur, insederunt: ubi aliquamdiu morati, quum in tantum essent aucti numerum, qui in sterili illa regione commode consistere minus posset; conscripto decies centum et octoginta millium exercitu, Duce *Balambere* ex Familia *Kádár*, Tanaim a. 374 superarunt. Hinc per orientales Europae fines progressi, in *Daciam* quae *Moldaviam*, *Valachiamque*, *Transilvaniam* item, et *Hungariam* usque *Ti-*
bis-

biscum complectebatur, a. 376 irruperunt; eamque totam, devictis, non tamen deletis, priscis incolis *Gothis* ac *Gepidis*, quorum sub nomine ac potestate minores etiam, uti erant *Daci*, *Getae*, *Romanique* rustici, velabantur Nationes, eum in modum ditioni suae subjecerunt, ut cum memoratis habitatoribus, sibi deinde servientibus, una colendam possiderent, magna nihilominus parte Gothorum ultra Danubium, cum Ducibus seu Regulis suis, *Phritigerno* et *Alarico*, pulsa.

Ulterius tandem his ex oris Hunni pedem ac arma promoventes, *Jazygum* Sarmatarum sive *Metanastarum*, Sclavici generis populi, terram, Tibiscum inter et Danubium sitam, a. 377 subegerunt: ubi temporariam quidem sibi habitationem fecerunt, sed Sclavos, tributo alioquin subjectos, sedibus suis non ejecerunt. Neque sic quieti, hoc eodem vel subsequente anno, trajecto Danubio, Pannonia quoque, *diversarum gentium diversorio*, cui dictum flumen a borea et oriente limites ponit, potiuntur; ibique, postquam Gothis in Thracia conjuncti adversus Romanos, ab his victi a. 379 fuerant, bellum praecipuum, ad urbem Potentianam, primam in Panonia Romanorum Coloniam, non procul forte Buda dissitam, a. 380 tanto impe-

petu committunt, ut ex Hunnis 125000, Romanis autem 210000 cecidisse perhibeantur. Hunni proinde, confecto hoc et minoribus praeliis, positaque interim in Dacia sede habitationis, dominatu item in Jazygia et Pannonia stabilito, rei agrariae ac pecuariae sese addicere diligentius ceperunt, et Rempublicam instituerunt.

1. Bálambere a. 387 vita functo, sequentes successerunt *Duces*, regia potestate pollentes, atque ideo *Reges* etiam *Hunorum* a Scriptoribus adpellati.

2. Charaton, usque annum circiter 400.

3. Uldinus, alias *Uldin*, *Huldin*, et *Uldes*, quem Stilico adversus Radagaisum in Italiam acciverat, a. 411.

4. Bendegucz, sive *Bendecuc*, Graecis *Mundzuchus*, Filius Bálamberis, qui anno 426 magnam Hunnorum manum, duce *Rugila* (Rua, Roila) ad obsidendam Constantinopolim, contra Theodosium mittit; ubi coorta tempestate, Rugilas fulmine tangitur; maxima vero Hunnorum pars peste subsecuta consumitur.

5. Octar sive Uptar, et Ruas fratres Bendeguzi, eidem a. 428 successere; sed a. 431 Octare mortuo, tota imperii moles in Ruam recidit.

6. Ethel e Hunnis; Latinis, Graecisque Auctoribus *Atila*, *Attila*, et *Attila*, cum fratre germano *Buda* sive *Bleda*, *Bendeguzi* filii, a. 434 regni possessionem adierunt: quorum *Attila*, qui a. 445 fratrem *Budam* peremit, quanta cum suis Hunnis, et adscitis saepe ad arma *Gepidis*, reliquisque populis subjugatis, in oriente ac occidente bella gesserit, quantumque grassatus fuerit, peregrinus in *Historia* ignoraverit. Illo a. 454 mortuo, tres ejus filii superstites fasces imperii Hunnici obtinuerunt, videlicet, aetatis ordine:

7. *Ellak*, vivo patre *Acatirorum* Rex ad *Pontum Euxinum*; *Dengizics*, aliis *Densices*, et *Irnach*, quorum seorsim regnandi libidine ac dissidio in occasionem arrepto, gentes, quae *Attilae* paruerant, jugum Hunnicum excusserunt. *Ardaricus*, *Gepidarum* Rex, primus fuit, qui, caeso in *Pannonia Ellako*, triginta circiter *Hunorum* millia peremit, *Daciamque* et *Jazygiam Gepidarum* possessioni subjecit. Tum *Gothi* quoque *Pannonia* potiti sunt. Post *Ellakum Dengizics*, Hunnis praefuit, qui a. 455 cum *Gothis* ad *Sirmium*, anno vero 457 cum *Romanis* infelicia bella gessit. Anno denique 469 *Dengizich* ipse, collectis Hunnis superstilibus, qui a *Gothis* victi circa *Danubii* ostia perstiterant, duxit

xit adversus Gothos, extremam fortunam periclitaturus: sed victi ad Bassianam, Pannoniae Civitatem, inglorii pulsi sunt, cumque per Thraciam pars eorum maxima Pontum versus rediret, in *Anagastum*, militiae Praefectum inciderunt; a quo Dengizich caesus est, caputque ejus (teste Marcellino) Constantinopolim ablatum. Sic finem imperio Hunnorum fecit funestissimum.

1. Quoniam nunc de iis agimus Hunnis, Siculis scilicet, quorum Majores nullo unquam tempore armis atque fama magis claruere, quam sub Attila; equum sane videtur, praecipua quaedam de famigeratissimo hocce Duce hic loci subnectere. Ut igitur ab habitu corporis ordiamur, eum Jornandes sequentem in modum describit: *forma ei erat brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis rarus barba, canis aspersus, simo naso, teter colore.* Sed facile fides abrogari Jornandi potest, utpote, qui ob clades Gothorum, Popularium suorum, ab Hunnis acceptas, illis vehementer infensus, multa adfinxit. Eum nihilominus, ut gentem quoque suam, horridiuscula fuisse specie, non est, cur inficiemur. Admittamus vero verba ejusdem Jornandis, qui de indole magni Attilae, sequentia loquitur: *Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos, ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret additur porro: bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis propitius in fide semel receptos.*

2. Horrendus autem Rex Attila fuit, et horrendissimi Hunni, quaquaversum bella circumtulerunt. Germaniam, Galliam, Italianque, et plurimas Europae regiones ferro ac flamma vastarunt, Occidentis aequae ac Orientis Imperatores tributarios sibi fecerunt, etc. Fuit autem praelium Attilae anceps ac omnium cruentissimum in campo urbis *Catalauni* apud Gallos, cum Aetio, Romanarum Legionum Magistro, an. 451 commissum, in quo 180 pugnatorum circiter millia utrinque desiderabantur; a parte quidem Attilae non Hunni omnes, sed etiam multi adsumtorum ad commilitium Gepidarum, et conmixtorum aliorum populorum. Relicto Catalauno (Gallis *Chalon sur Marne*), plurima incendii instar loca permearunt, totque gentium onusti spoliis ad sua redierunt. Hoc reditu, S. *Ursulam*, et ingentem cum ea *Virginum* multitudinem, quae metu Attilae, *Coloniae Agrippinae* refugium quaerebant, trucidarunt: unde *undecim millium Virginum Martyrum* ad diem 21. Oct. in Fâstis memoria. Anno autem 452 Attila ipse, reparatis copiis, majore, quam antea, exercitu in Italiam movit; ubi *Aquilejam*, *Mediolanum*, *Ticinum*, aliasque Urbes concussit: *Ravennatibus* tamen pepercit, et *Romanis*, Leone Pontifice Maximo eum placante, elementem se prae-buit, nec Urbem attigit. Haec severitas Attilae *Venetiarum* Civitatem opulentissimam fundasse perhibetur: adcolis videlicet, ob metum Attilae, navibus oneratis ad insulam *rivus altus* dictam profugientibus, et Civitatem condentibus. *Thuroczi Chron. Hung.* p. 1. c. 19.

3. Sic igitur Attila bonam regni sui partem peregre in castris transegit. Dum vero ipsi quieto esse licuit: sat magnifice in splendido suo palatio habitabat. Hac de re testis oculatus, *Priscus Rhetor*, qui una cum Maximino, Orator, a Theodosio II. Imperatore orientali ad ipsum Attilam anno 449 missus fuerat, hunc in sensum scribit: *ad vicum, in quo rex Attila morabatur, accessimus: vicum, inquam, ad instar civitatis amplissimae, in quo lignea moenia ex tabulis nitentibus fabricata reperimus, quarum compago ita solidum mentiebatur, ut vix ab intento posset junctura tabularum comprehendi; videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusque in omni decore dispositos. Area vero curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipsa regiam aulam ostenderet. Haec Jordanes ex laudato Prisco. Sed Bonfinius splendidiores adhuc aedes istas putavit.*
4. Qua autem regione, et quo vico, Attilae regia steterit? difficile est definire. *Samuel Timon*, Scriptor diligentissimus, in *Imagine Antiquae Hungariae*, Lib. II. Cap. V. quod de *gestis Attilae* lectu est dignissimum, e *Prisci Excerptis* curate consideratis, existimat, cum *Car. Cantoclaro*, eam prorsus non ad *Jaszberény* Hungariae ultra Tibiscum, (ut putavit *Otrokotsius* in *Originibus*), sed in illo *Moldaviae tractu*, qui lapidibus silvisque caret, sitam fuisse. A qua ejus opinione non longe discedunt veteres apud Siculos traditiones, ipsarumque rerum vestigia, quibus in vicinos Valachiae Transalpinae fines, ad reperiendas aedes Attilanas ducimur. Scilicet, ad meridionales terrae Siculorum fines, a terreno pagi Réty, **Se-**
dis

dis Sepsi, *Tsere-Domb* nominato, incipit fossa arte facta et *Hon árka* (vulgo *Hom árka*) adpellata, transitque per silvestrem tractum pagi Magyarós (ubi eadem fossa *Tsösz árka* vocatur), et alpestres silvas aditui (*passui*) Bozzensi adjacentes, in ipsam Valachiam Transalpinam, quae hodie *Havasalfölde* nobis, sed antiquius et rectius *Havasfelde* et *Havas-elve*, id est *Havas eleje* audiebat; cujus quidem fossae propagines non modo per tractum Sicularum Udvarhelyensem, sed etiam per oras Hungariae superioris, qua versus Tokaj et ultra itur, exstare traduntur: de hac adeoque fossa, Vir Ecclesiasticus, *Mathias Nagy*, Archidiaconus de Udvarhely et Parochus Zetelakensis, in suis *Notationibus de origine Sicularum* manuscriptis, ac mihi paucisque visis, quas a. 1505 exiguis pagellis concinnaverat, claris verbis refert, ductam eam fuisse ex *Valachia Transalpina*, a sede habitationis *Attilae*, per alpes ad nos, hinc per *Transilvaniam* et *Hungariam*; hunc in finem, ut *linea ista et adpositis vigiliis*, tutus, certus ac expeditus meatus et remeatus ad univ ersam gentem (*Hannorum*) illis in oris habitantem, veluti viae ducibus, pateret, commerciumque hinc et inde necessarium procederet. Haec ille; quibus vocamur, ut credamus, habitationem *Attilae* primo regni sui tempore fuisse in *Transalpina*, non longe a loco, quem *Timon* erudite in *Moldavia* quaeritabat. Ad nomen fossae hujus quod attinet; *Hon*, *Hunnum* (§. II. not. 3. a.), *Tsösz* vero, quod hodie custodem pecoris in *Hungaria* valet, vigiles publicos denotasse videntur. Memini me legisse apud Spectabilem *Stephanum Antos* de Réty, Vice

Judicem Regium Sedis Siculicalis Sepsi, quasdam observationes de vestigiis ejusdem fossae in Hungariae Comitatu Hontensi et viciniis, ubi similiter *Hon árka* nominata fuerit. Gratum Nationi Siculorum faceret, si quis Eruditorum illius regionis vestigia fossae indagaret, et si quae forte reperiuntur, scripto manifestaret.

5. Veterum porro traditionibus docemur, quibus Matthias Nagy etiam conformia notat, Attilam ex Valachia habitationem suam in hodiernam Siculorum terram transtulisse, ac ad majorem Hüküllö fluvium locasse, unde in hunc diem locus ille *Udvarhely* (Oppidum nempe *Székely-Udvarhely*) id est *Curiae locus* vocaretur, juxtaque hunc mons quidam *Bud-Vára*, hoc est *Budae arx*, de fratre Attilae, et pagus *Kadics-falva* de nomine ductoris *Kadicha* sive *Kadicsa*, apud Historicos nostros non ignoti. Sed demum hinc etiam Residentiam Attilae emotam ac in campestram Hungariae oram, quae Tibiscum inter ac Danubium jacet, depositam, ab eaque non longe dissitum fratris Budae ad ripam Danubii habitaculum, ubi Urbs Buda Hungariae regia conspicitur, e citatis monumentis discimus.

6. Injucundum jam haud erit, de *victu* quoque et *amictu* Attilae pauca loqui. Vestitu, suos inter Hunnos, quorum plerique linteis, cannabinisque et pelliceis operiebantur indumentis, splendido non utebatur; sed teste Prisco, ex panno unius generis, simplici ac vulgari; quum ceteri Hunnorum Primates versicoloribus delectarentur.

7. Ejus vero modum epulandi laudatus saepe Priscus, Cantoclaro in latinum ex graeco vertente, his verbis celebrat: „Reversis „nobis in tentorium, ecce ad nos Orestis „pater, vos ambos, inquit, ad convivium „invitat Attilas, fiet vero illud circa no- „nam diei. Tempore condicto observato, „ut venimus, et una quoque Romanorum „occidentalium legati, stetimus in limine „caenaculi coram Attila. Hic pincernae, „ut mos est in illis regionibus, calicem „tradiderunt, ut et nos vota faceremus. „Quo facto calicem degustantes ad ipsa so- „lia venimus, in quibus sedentes caenare „oportebat. Ad parietes autem cubiculi „praeparata erant omnia sedilia, ab utra- „que parte disposita: in medio vero sede- „bat Attilas in lecto; e cujus regione erat „et alter lectus, penes quem erant quidam „gradus, qui ad ejus cubile ferebant, lin- „teis candidis, et variis tapetibus venusta- „tis, et ornatus gratia contactum, simile „cubilibus, quae Romani, et Graeci nubentibus adornare pro more habent. Tum con- „vivarum primum ordinem ad Attilae dex- „tram sedere constituerunt, secundum ad „laevam: in quo nos, et Berichus, vir apud „Scythas nobilis, sed Berichus superiore „loco. Nam Onegesius in cathedra ad dex- „tram regii throni, et e regione Onegesti „duo ex Attilae Filiis. Senior enim in eo- „dem, quo pater throno non prope, sed „multum infra accumbebat, oculis prae pu- „dore, propter patris praesentiam, semper „in terram coniectis. Omnibus ordine se- „dentibus, qui Attilae erat a poculis, in- „grediens pateram vini tradit. Hanc ubi „quis suscepit, eum qui ordine prior erat,

„salutavit; salutatione honoratus surrexit,
 „neque prius eum sedere fas erat, quam
 „merum degustans, aut etiam ebibens, po-
 „culum pocillatori redderet. Unicuique ve-
 „ro unus pocillator aderat, quem, pincer-
 „na Attilae exeunte, introire suo ordine
 „oportuit. Postquam vero Attilas secun-
 „dum a se, et reliquos deinceps honore
 „affecisset, nos etiam paribus poculis dex-
 „tra juncta honoravit ex Thracum instituto.
 „Tum, ubi omnes salutatione honorati fu-
 „issent a Rege, pincernae recesserunt. Men-
 „sae vero juxta Attilae mensam erant ere-
 „ctae, excipiendis tribus, et quatuor, aut
 „etiam pluribus convivis idoneae, quorum
 „unusquisque poterat, minime transgressis
 „sedium ordinibus, in disco ex ferculis,
 „quod sibi libitum erat, desumere. Et pri-
 „mum in medium accessit Attilae minister
 „discum plenum carnibus ferens: post ip-
 „sum qui reliquis omnibus ministrabant,
 „panem et opsonia mensis apposuerunt. Sed
 „ceteris quidem barbaris, et nobis caena
 „vario eduliorum genere reserta, et instru-
 „cta praeparata, et in discis argenteis ap-
 „posita: Attilae vero in quadra lignea, et
 „nihil praeter carnes. Moderatum pariter,
 „et in omnibus reliquis sese praebuit. Con-
 „vivis aurea, et argentea pocula, quibus
 „bibebant, suppeditabantur; Attilae vero
 „poculum erat ligneum. Ut opsonia pri-
 „morum ferculorum fuere consumpta, o-
 „mnes surreximus, neque prius quisquam
 „nostrum ad suam sedem est reversus, quam
 „sibi traditam pateram, vini plenam serva-
 „to, quem supra diximus, ritu, Attilam
 „salvum, et incolumem precatus ebibisset.
 „Eo ad hunc modum honore culto sedimus.
 „Tum

„Tum nova fercula cuique mensae sunt il-
 „lata, quae alia continebant esculenta: ex
 „quibus ubi omnes, quoad satis esset, co-
 „medissent, modo, quo supra, in pedes ere-
 „cti, ebibito calice, consedimus. Adveni-
 „ente vespere sublatis epulis duo viri Scy-
 „thae coram Attila prodierunt, et versus
 „a se factos quibus ejus victorias, et bel-
 „licas virtutes canebant, recitarunt. Et alii
 „quidem versibus delectabantur, aliis
 „manabant lachrymae, quorum aetas affecta
 „reddiderat corpus effaetum et inbecillum;
 „ex quo eorum pugnandi ardor, et cupidi-
 „tas quiescere cogebatur. Post cantus, et
 „carmina Scytha, neseio quis, mente cap-
 „tus absurda, et prodigiosa, nec sani sen-
 „sus quicquam habentia resonans, et de-
 „blaterans risum omnibus commovit. Zer-
 „chon Marusius introivit etc. Itaque tunc
 „arrepta festivitatis occasione progressus
 „et forma, et habitu, et pronunciatione,
 „et verbis confuse ab eo prolatis, modo
 „Ausoniorum, modo Hunnorum, modo Go-
 „thorum linguam intermiscens, omnes lae-
 „titia, et hilaritate diffudit, effecitque, ut
 „in risum, qui sedari, et extingvi non po-
 „terat, prorumperent, excepto Attila. At-
 „tilas enim vultu omnis mutationis expers,
 „et immotus permansit: neque quidquam
 „facere, quod jocum prae se ferret, con-
 „spectus est, praeterquam quod juniorem
 „ex filiis introeuntem, et adventantem, no-
 „mine Irnas, placidis, et laetis oculis est
 „intuitus et eum gena traxit. — — — Ut
 „vero in convivio noctem protraxerunt, fre-
 „quentes eximus, nolentes in computatione
 „permanere.“

8. Postquam sic satis suaviter cum Attila coenavimus, justa ad extremum funeri ejus solvamus. Scilicet, Attila multorum vastator regnorum et innumerarum eversor Civitatum, dum a. 454 nuptias, post obitum conjugis Recae (quam, in transmigracione ex Valachia mortuam, in silva proluxa terrae Siculicae, cui a *Reca* seu *Reka* nomen *Rika* adhaeserit, sepelivisse traditur), cum *Hildegunda* Henrici Francorum Regis filia celebraret, ipsa nuptiarum nocte, copioso e naribus sanguine in fauces exundante, quinquagenario vix major, domestici licet propemodum omnes ad 124 annos aetatem ejus perducant, suffocatur, relictis tribus filiis supra memoratis. *Chaba* enim et *Aladár* quos ei filios nonnulli Historici adscribunt, commentitia sunt nomina; et quid quid Annales de *Chaba* consignarunt, accipiendum est de *Dengizicsio*, quem *Chabam* (quod nomen stolidum apud nos notat) Hunni nominaverint, propter imprudentem cum Romanis et Gothis conflictum, quo Hunni victi, ac ipse *Dengizics* caesus fuit. Vocamen vero *Aladari* ex *Ardarici* Gepidarum Regis nomine, abjectis pro more Hungarorum posterioribus syllabis, natum esse, nulla vi concluderimus. Titulus denique Attilae, ut *Thuroezius* (alii paulo aliter) habet: *Attila filius Bendegucz: nepos magni Nemroth: nutritus in Engadi: Dei gratia Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, metus orbis et flagellum Dei.* Est indocti cerebri figmentum. Cui plura de Attila placebunt, consulat *M Rudolphi Roth* Ulmensis, *Attilam Hunnorum Regem* a. 1679 forma quarta Jenae evulgatum, cujus in fronte duo quoque Nummi antiquissimi, ipsius

sus Attilae effigiem repraesentantes conspiciuntur, ac *Evardi Gibbon* Angli vitam Attilae a. 1787 Luneburgi versione germanica (*das Leben des Attila*) forma 8va editam: quibus in Opusculis alii quoque Auctores de eodem Attila commemorantur. His, propter raritatem Domesticam adnecti potest poëticus liber Hungaricus, cui titulus est: *Az régi Magyaroknak első bé jövésekről való Historia. Attilával miképpen telepettenek le Scambriában (sic), És mely nagy vérontással férkesztenek bé Pannoniába. Ad Notam: Arpád vala fő az Capitánságba Nyomtatot Colosvárot Heltaj Gáspárné műhelyébe 1. 5. 7. 9.* Quem, forma 4ta excusum, et 22 folia habentem in Bibliotheca selectissima Auctorum Hungaricorum Excellentissimae Dominae S. R. I. Comitissae Samuele Telekianae (*Tit. Tit.*) magno cum oblectamento aliquot ab hinc annis in Sáremerk evolveram.

§. IV.

Post praelia (§. III.) commemorata, pars Hunnorum e clade superstitem in Thracia, Moesia et Illyrico ad castrum Martenam, pars in *Scythia minore* seu *europaea* juxta Pontum Euxinum sita, cum *Irnacho* consedit; pars vero trans paludem Maeotidem, unde iidem Hunni in Europam primum immigraverant, rediit; pars denique, cujus Posterii sunt *Siculi*, in ea Transsilvaniae regione permansit, quam hodiernum in diem Terrae Siculicae nomine Incllyta Natio

tio peculiari jure possidet. Et hanc Siculorum originem non modo sinceriores Annales patrii, una cum traditionibus Majorum, diserte tradunt; sed codex quoque Legum, *Decreti Tripartiti* nomine insignitus, quem Reges Regnumque Hungariae, ac Principatus Transsilvaniae, jurata fide observare obligantur manifestissime probat; dum Partis tertiae Titulo quarto, inquit: *Sunt praeterea Transsilvanis in partibus scituli Nobiles privilegiati ab Scythico populo in primo eorum ingressu in Pannoniam propagati, quos nos corrupto quodam vocabulo Siculos appellamus, dissimili penitus lege et consuetudine gaudentes, rerum bellicarum expertissimi, qui per Tribus et Generationes, atque Lineas Generationum (antiquorum more) haereditates ac officia inter sese partiuntur et dividunt.*

1. Hunc Siculorum ortum Historiae Hungariae parens, *Magister Johannes Thwroc* (quem communiter *Thuroczium* scribimus) *Chronicae Hungarorum* part. 1. cap. 24. his verbis tradit: „Hos etiam praeter Hunnos, qui „Chabam comitati sunt, tria millia virorum eadem de natione praelio de praedicto per fugae praesidium erepti, in Pannonia remansisse: et quam primum in campo Czyglamezew *Cziglamezö* hodierna scriptio; quod tamen detortum forte est e „(*Czegléd mezö*) vocato, sibi sedem fecisse; „tandem occidentales nationes, quibus vivente Attila infesti erant, metuentes, ad

„Erdevvelwe, (lege *Erdöelwe*, hoc est, *Erdö*
 „*eleje*, unde *Erdély* formatum est) confinia
 „videlicet Pannonicae regionis se transtu-
 „lisse, et non Hunnos sive Hungaros; sed,
 „ne illorum agnoscerentur esse residui, Si-
 „culos, ipsorum autem vocabulo *Zekel* (*Szö-*
 „*kaly*), se denominasse perhibentur. Hi Si-
 „culi, Hunnorum prima fronte in Pannoni-
 „am intransiunt, etiam hac nostra tempe-
 „state residui esse dubitantur per neminem
 „cum in ipsorum generatione extraneo non-
 „dum permixta sanguine, et in moribus
 „severiores, et in divisione agri caeteris
 „Hungaris multum differe videantur.

Nicolaus Olahus quoque, in suo *Atila*,
 sequentem in modum describit: „Post pu-
 „gnam in agro Sicambrico commissam,
 „praeter exercitum Chabae, qui in Graeci-
 „am erat profectus, tria millia Hunnorum
 „caedem elapsa in campo *Czegléd*, ubi nunc
 „oppidum est ejus nominis, consedere. Hi
 „metuentes *Detrici* et aliorum Germanorum
 „potentiam, in eam *Daciae* partem quae
 „nostra hac tempestate *Transylvania*, sive
 „Septem castra (a septem Ducibus Hunni-
 „cis, qui in secundo ingressu Hunnorum in
 „Pannoniam, castra sua eo loci fixerant)
 „denominantur, celeri itinere appulere. Qui
 „ut facilius persvaderent se non esse Hun-
 „norum reliquias, mutato agnomine Hunni-
 „co, se *Siculos* denominarunt. Hic popu-
 „lus etiam nunc a nostris putantur vetusti-
 „ores esse Hunnorum, qui in *Hungaria* re-
 „manserint. Sunt in eum hi aucti jam nu-
 „merum, ut dum bellum eis ingruat, faci-
 „le ad quinquaginta et amplius armatorum
 „hominum millia conscribere, in campum-
 „que educere possint. Gravatum patiuntur

„suam familiam, domumque, externae nationis miscere connubio: moribus, ritibus ac legibus aliorum Hungarorum sunt, longe dissimiles.

2. Hos Auctores sequuntur reliqui, quorum sententias popularibus nostris abunde notas, recitare supervacaneum esse arbitror. Sed hanc Siculorum originem in dubium vocare seculo nostro sunt ausi, magni alioquin et immortalis nominis, sed Nationem Siculicam ejusque Privilegia intime certe non noscentes Historici; quorum agmen *Samuel Timon* ducit: eam cum primis ob rationem, quod laudati proxime *Thurocius*, *Pistorius*, aliique, ad exiguum numerum, tria nempe millia, Hunnos illos redigant, quos Siculorum Parentes adserunt; ut proinde ii, finitimis Gentibus infensi et exosi, in medio Gepidarum, Gothorum, etc. interque incursiones variarum Gentium, in statione permanere nequiverint. Nova igitur incunabula Siculis fingunt; et *Franciscus Fasching* quidem, ex *Jassis* (hung. *Jászok*) Hungariae, qui etiam *Philistaei* vocabantur, ortos persvadere conatur, suae *Veteris Daciae* pag. 79 in haec verba scribens: *Probabilius Seculo Dominico Christi Decimo Tertio, quo Tartari Transsilvaniam septennio, et Hungariam triennio forme afflixerunt et prope deleverunt iis excedentibus a Bela IV ex Jassis seu Philistaeis — — ad custodiendos limites, eo translato fuisse; quoniam vero in maximis periculis durarunt in Dacia, magnas immunitates — — merito obtinuerunt* *Georgius Pray* vero, vir longe Clarissimus, Siculos, veros *Paczinacitas* ortu suo plane *persvasum* habet; ipsos autem

Paczinacitas genuinos *Cumanos* esse extra dubitationem locat, et post discessum Tatarorum *bonam Cumanorum partem* ex Hungaria in *Transsilvaniam abiisse*, ex iisque propagatos Siculos pro vero simili scribit.

3. a. Verum enimvero hanc eorum sententiam a veritate esse alienam, tam Historicorum monumenta, quam Diplomata, antiquissima evincunt luculentissime. Quid vero hanc in rem pluribus? Recitatum siquidem *Decretum Werböczianum* vox et sententia est universi Regni Hungarici, ejusdemque Regum Apostolicorum; quod non e cerebro ille cudit, sed e visis procul dubio, Tabularii Regii monumentis, quibus carere nequivit, conspectoque Nationis Siculicæ systemate politico, publica auctoritate concinavit: istud vero diserte admodum demonstrat, Siculos, Nobiles illos in universum privilegiatos, ab Hunnis, prima in has oras vice ingressis, esse propagatos. Turbator ergo Legis, Regis et Regni, atque contemtor Privilegiorum Reginum, sit oportet, qui posthabitis eorum oraculis, sincerisque Historicorum domesticorum testimoniis, spuria Siculis incunabula fabricaverit.

b. Verum est, quod si quispiam communem versionem loci Decretalis hungaricam consulat, nihil inde petere testimonii poterit; haec enim verba: *ab Scytico populo in primo eorum ingressu in Pannoniam propagati*; sequentibus insigni cum errore exprimit: *kik a' magyaroktól azután származtak hogy Scithiából Magyar Országban Pannoniában bé jöttek*: quae non plus significant, quam Siculos ab Hungaris, postquam hi e Seythia in Hungariam advenerunt, ortos fuisse.

2. Quod dum monuimus, in gratiam Lectorum curiosorum, libet antiquam etiam totius loci illius Werböcziani versionem (quam primus omnium *Blasius Veres* pro prelo Debreczinensi adornaverat, ac deinde *Caspar Heltai* Claudiopoli interpolaverat, typisque suis 1571 in 4to evulgaverat,) puerilem quidem eam, sed de origine Sicularum prioris auctoritatem, ex editione Heltana, huc adscribere; quae, nulla mutata litera, hisce legitur: „SZÉHELLYEC, kiváltköppen való Nemessek, Scitiabéli népről. Az ő első Pannoniába bé jövésekben támadtak, vagy nemzettek, mindenestől fogva külemb törvényes és szokásnak örülnek: Hadi dolgotba bölczec: kie örökséget és tisztet nemzetségre, és nemzetségnak ágazatira, régi szokásoc szerént osznak kösztec.

4. In contrarium equidem quaestio haud minima hic suboriur: Num Siculi, si non tribus millibus numerosiores illi, e reliquiis Hunnorum profligatorum, in Transsilvaniam se receperint, centum fere annos, donec scilicet anno 553 Avars, Hunnorum nostrorum sive Sicularum gentiles, ex Asia in Daciam adpulerunt, hac in regione, tanquam medio hostium, perseverare potuerint?

Pondus Quaestioni addit, quod *Gothi*, cum primisque *Gepidae*, quos omnes, Hunni Balamberiani seu Attilani dicti, suae subjecerant potestati; post debellatos Hunnos, his in oris longe lateque dominabantur, uti conjicere licet infensi eorum popularibus, Siculis videlicet nostris, erant. Quo igitur modo, iidem Siculi, hac in regione, hostilia inter odia, parva manu perdurare quiverint?

Respondemus : Non constat quidem sed res creditu non est difficilis Hunno Siculos, plures vel pauciores fuerint, in qualemcunque Gepidarum, sibi viciniorum, potestatem concessisse potius, quam migrationis et dubiorum itinerum erroribus periclitari: atque ita, cur non potuissent tria Sicularum millia in Dacia nostra more deditio permanere? id quod vel decem personis, immo uni etiam, permitti mirum non erat. Sed porro, per *tria illa millia*, illi solum exprimi poterant, qui armipotentes censebantur, et qui quintam Gentis suae partem, uti credere fas est, non excedebant; ut adeo universim 15000 plus minus fuisse probabile aequis iudiciis censeantur. Conf. §. V. not. 1.

§. V.

Hunc igitur in modum Natio Sicularum sedem habitationis suae fixit in orientali Transsilvaniae parte, quae ad fontes celebrium fluviorum Marusii, Alutae, binorum Küküllö, minorumque protenditur, et adversus hostium incursiones montibus ac silvis multa ex parte munitur. Et quoniam Hunnorum exercitus, ulterius hinc in Pannoniam, ceterasque Europae regiones arma illaturus, ac bella gesturus, hic suos imbelles, puta, senes, valetudinarios, infirmos, pueros, multamque sequioris sexus partem, armenta item et reculas, in stationem sive quiescentia quasi castra, armatis quoque cohortibus firmata,

pro tutiori permansione, post fata saltem famosissimi Attilae collocaverat: haec propterea regio vocabatur iis *Szék hely*, id est, *Sedis locus*, sive *sedes habitationis, permansionis, statio*; quum lingua vernacula *Szék Sedem hely* autem locum valeat. Ex his igitur voculis, conjunctim sumtis ac suffixo *i*. auctis, Hunnus tam quietem, quam excubias agens, dictus fuerit *Szék-helyi*, hoc est *de sedis loco* existens, ac postmodum, ut fit sexcentis in vocibus, omissis *h* et *i*, *Székely*; e quo demum latinum *Siculus*, quod integrius *Székelius* diceretur, germanicum *Zeckel*, et Valachicum *Szekuj*, quae ejusdem sunt significationis; item *Siculia*, quod vocabulum Siculorum Terram (*Székely-föld*) notat, enata sunt; vocamine *Hunni* in hoc Populo penitus cessante.

1. Iis, quae hoc §pho posita sunt, consideratis, *trium millium Siculorum* (§. IV. not. 4) qui bello pulsii redierant. summa quantum capit incrementi, conjicere licet. Quis enim credat, omnes infirmos ac inmaturos in Scythiam rediisse?

2. Auctor *Daciae Siculiae* pag. 3. a. Jugoriae monte *Sickely Ranzanus* e *Sicilia*, etymon vocabuli *Székely*, una cum ipsa Gente accessunt fabulose. *Andreas Huszti* autem *Jurisprudentiae Hungarico Transsilvanicae* Tit. XI. §. 110 a. regione *Tschik*, consveta seriptione *Csik* et *Tsik*, adpellari Siculum com-

miniseitur. Alii vero hanc vocem depravant nimium, uti *Hornius*, cui in *Arca Noe Skokelius*, *Ortelio Zaikel*, nonnullis *Cikulus* exprimitur. Nomen vero latinum *Sikulus* est antiquissimum, quod videlicet jam anno 1224 in *Andreano Saxonum Privilegio* (§. IV. not. 5.) scribebatur, immo etiam multo antea, ad annum 1096, fit mentio *Siculorum*, in *Historia Episcopatus Milko-viensis Extraneis Seythuli* quoque saepe nominantur.

§. VI.

Taliter constituta *Siculorum Republica*, sub gentilibus suis *Ductoribus* ac *Praetoribus* perstitit incolumis, usque ad annum 553, quo *secunda vice* (§. II. not. 3 b.) e *Scythia Hunnici generis Populus*, *Avares* scilicet, sive *Hunno Avares*, origine et lingua ipsorum *Siculorum* fratres, sub suo *Kagano*, Duce, in *Daciam* pervenientes, *Gepidasque* victos imperio suo subjicientes, eadem *Dacia*, ac subinde etiam *Pannonia*, potiti fuissent. Hi, *Kagano* 578 mortuo, *Pannoniam Daciaeque* partes coluerunt sub *Ducibus* Gentis suae, ad annum 803, quo eos *Carolus Magnus Gallis* subjugavit, ac demum sub finem seculi noni, qui superstites ex iis manserant, *Hungaris* ex *Asia boreali* erumpentibus sese associantes, jugum gallicum excusserunt. Interea igitur cum *Avaribus*, quoad hi favente

usi fuere fortuna, Siculi consanguinei armatam coluerunt societatem, vicinorum populorum, si quo antea premebantur, metu soluti.

1. Hi Avars, quorum duces sive Reges communi sat diu nomine *Chagani* adpellabantur, (quorumque praecipui, *Kurs, Iringus, Jugurro, Theodo*, sive *Tudó* (Tudunus, et alter *Tudunus*, memorantur,) Slavici generis hominibus omnium numerosissime in Dacia et Pannoniis imperitasse convixisseque leguntur. Horum cum posteris Hungaros quoque (§. VII) demum egisse perhumaniter, (verba sunt celeberrimi *Severini*) patet, cum eos initio statim belli socios facerent, tum civitate impertirentur (*Anonym. Belae Regis c. 33, 34.*) Hinc proficiscitur, ut ad nostram memoriam Slavi, aucti tandem Sigismundo et Elisabetha imperantibus, Bohemorum Moravorumque accessione, borealem Hungariae partem, clivis perpetuisque montium jugis obnoxiam incolant. Sclavis his ex priore syllaba *Gothi* nomen *Tot* potius, quam ex *Toutone*, apud Hungaros adhaesisse existimamus, adsentiente *Lud. Tubero L. 1. §. 6.*
2. Nec Avars, nec deinde Hungari advenientes, suos hos fratres, Prosapiam nempe Siculicam, quae eis et quieti hospitaliter, et auxilio viriliter fuit, vel oppresserunt, vel immunitatibus coarctarunt. De Siculis vero patrii referunt annales, quod dum illi Hungaros ad has oras e Seythia tendere nunciis accepissent, habito delectu, eis in Rutheniam, quae et Roxania fuit nominata, pulero agmine obviam processerint.

§. VII.

Postquam demum *tertia vice*, (§. II. *not.* 3. *c.*) Hunnici similiter Gens sanguin-
nis, Inclyta videlicet *Hungarorum Natio*,
ad capita 210000 circiter numerata, circa
annum 862 in Daciam adpulit, hicque *Bla-*
cos (quos jam *Valachos* vocamus) et ho-
rum commilitones fregit; ac sub finem e-
jusdem seculi, devicto *Svatopluc* Sclavo-
rum Rege, Hungariam quoque insedit; su-
is et Hungaria seorsim, suis etiam Trans-
silvania Ducibus parvare, usque ad sanc-
tum Stephanum, primum Hungarorum Re-
gem sub quo, anno 1002 tempore Gyulæ
Ducis Transsilvaniæ, avunculi sui, odio
Religionis Christianæ armis sibi repugnan-
te, Transsilvania Coronæ Hungariæ ad-
nexa fuit. Sic adeoque Natio etiam Sicu-
lorum, Ducibus antea Transsilvaniæ con-
foederata, Regis Apostolici, et successorum
se submisit imperio. A morte vero
Joannis Zápolya, Transsilvanis ab Hunga-
ria recedentibus, Siculi quoque eisdem
habuerunt Comites, quos tota Transsilva-
nia post fata Joannis Sigismundi Princi-
pes venerata fuit.

1. Idem ergo S. Stephanus, dum Hungariam
ac Transsilvaniam in certos distribueret Co-
mitatus, terram Siculorum universam, com-
munem videlicet illam totius Nationis *Se-*
dem

dom (§. V.); in *Sedes* minores jam antea ab ipsis certo dispartitam, pro uno *Comitatu* reliquit. Hinc est, quod Praefecti, qui nomine atque vice Regum, Supremum apud hanc Gentem Magistratum gesserunt, *Comites Siculorum* adpellarentur.

2. De his P *Joannes Szegedi*, in *Tripartito Juris Ungarici Tyrocinio*, Part. 3. Tit. 4. §. 3. „Quem, (*scribit*) Reges Ungariae *Vajvodam Transsilvaniae*; eundem etiam semper creabant, *Comitem Siculorum*.“ Hanc etiam habet Sententiam *Nicolaus Olahus*, cujus *Attilae* suae Capite ultimo haec sunt verba: „Parent (*Siculi*) post Regem, nemini, quam *Vajvodae Transsilvano*; quem Rex *Comitem* eorum, dum huic *Vajvodatui* confert, aut mutat praefecturam, semper creat.“ Sed hoc aliter se habet; fuerunt enim non pauci *Vajvodarum*, qui *Comitum* Supremorum *Comitatus Szólnok* Interioris munere functi sunt; iisque temporibus *Siculis* *Comites* peculiare, diversos a *Vajvodis* praefuisse, vel ex eorum catalogo probari potest. Nec minorem idem *Doctissimus Szegedi* committit errorem, quum, paucis interjectis, adserit, *Siculos tributum Turcis, instar Transsilvanorum (Hungarorum) et Saxonum, pendere coactos*: uti infra §. XXXI. apparebit. Sed neque *singuli Siculorum boves singulos* Regibus dare obligabantur, ut idem *Vir eruditissimus citati Titulo Spho 2* putavit: verum bovem sextum, adeoque tanto numero animalia ista non habentes, ambo tresque unum *conf.* §. XX.

Post ultimum Patrium Principem *Michaellem Apafi*, Augusti Successores *Austriaci*
Com.

Comites Siculorum salutati dimidio Seculo haud sunt; verum hic titulus sub Aug. Leopoldo I. ad Regium Governatorem Transsilvaniae, Comitem *Georgium Banff* transierat: sed postmodum Magna Princeps MARIA THERESIA clementer assumere dignata est in *Resolutionibus, Deputationi Transsilvanicae* 20. Julii a. 1742 datis, quarum Puncto 4to ratione Siculorum exarato, haec ad verbum legimus. „Demissae Instantiae „Nationis ejusdem (*Siculicae*) quatenus Titulum *Siculorum Comitis*, quo alii Transsilvaniae Principes, ac etiam Rex Poloniae Stephanus Báthori, olim usi sunt, inter reliquos Titulos nostros assumere dignaremur; benigne annuimus, eundemque Titulum in Transsilvanicis Expeditionibus, in serie Titulorum nostrorum, suo loco inserendum indulgemus.

C A P V T II.

DE SICVLORVM DISTINCTIONE

I N

PRIMORES, PRIMIPILOS, PYXIDARIOS etc.

§. VIII.

Sicuti nulla unquam fuit, nec alioquin subsistere salutariter potuisset, Respublica, in qua Cives omnes aequali potestate et auctoritate convixissent; sed et qui praessent, et qui subessent, corpus Reipub-

publicae formare atque constituere debuerint: ita Siculi etiam, omnes licet et singuli de plena Lege Nobiles (§. IV.,) ab antiquis temporibus, in *Tres Ordines*, sive *Genera*, videlicet *Primores*, *Primipilos* et *Pixidarios* distincti, indeque *Trium Generum Siculi* in publicis aequae Instrumentis, ac communi Nationis Sigillo antiquissimo scripti sunt.

1. Hujusmodi distinctionem Siculorum in tres Classes, esse perantiquam, praeter usum nondum in ipsa Natione penitus obsoletum, publicaeque auctoritatis documenta, praesertim vero *Legem Consuetudinariam* Nationis a. 1555 in formam codicis redactam, (*) et Decreta Comititalia anni 1562 d. 20. Junii; testantur solide *Commissarii* Ferdinandi I. Hungariae Regis, qui a. 1552 investigandis Proventibus Regiis in Transsilvaniam missi, pervestigatis etiam rebus Siculorum, sequentem de iis perscribunt Relationem: *Siculi in commune omnes sunt Nobiles, et ab omnibus contributionibus exempti; sed distributi tamen in tres Ordines, quorum qui praecipui sunt, vocantur Nobiles, qui quasi Baronum Patriciorum loco habentur; alii vocantur lingua eorum Lófö Székelyek, ipsi Latinae Primipilos vocant, qui quasi Equestris sunt Ordinis; reliqui sunt ceu Plebei, omnes tamen, ut dictum Nobiles.*

2. Quamvis vero primis fundatae in Transsilvania Reipublicae Siculicae temporibus, trifaria haec distinctio vix audita legatur; quum

(*) Seq. in Aditamentis Nro, I.

quum *Lóhfö* sive *Lófö*, *Giahrlag* seu *Gyalog*, id est, *Equestris* ac *Pedestris* tantum Generis memoria in vetustissimis omnium monumentis supersit: si non tamen nomine tenus, re ipsa profecto tres viguisse Ordines, elicere ex eo facile est, quod qui duabus istis Classibus praefuerunt regendis rebusque gravioribus gerendis, ac judiciis incubuerunt, illi saltem officio et auctoritate distincti, tertium constituere Ordinem, qui subsequutis temporibus *Primorum* adpellationem induerunt.

§ IX.

1. **Primores**, qui nonnunquam *Potiores* etiam, hungarice vero *Fö Népek*, et *Elsök*, ac ab anno 1571, haud raro *Fö-Nemesek*, id est, *Primarii Nobiles*, item *Nemessi Rend*, nominantur, ceteris fuerunt haereditatibus et opibus valentiores, eorumque de numero ad Officia Militaria *Generales*, *Capitanei*, *Ductores*, et *Vexilliferi*, ac ad Provincialia *Judices Regii*, *Judices Sedis*, et aliquot *Adsessores* seu *Jurati Sedium* deligebantur.

1. Vernaculo nomine vocabantur olim *Judices Regii Király Birák*, *Judices Sedis Szék-Birák*, *Adsessores Székülök*. Hodierno stilo, per *Judices Regios*, citra omnem dubitationem, *Supremi Judices Regii*, per *Sedis Judices* autem *Vice Judices Regii* (quorum nomen a. 1594 2. Febr. in Comitibus Albensibus natum videtur) intelliguntur.

2. Aevo nostro in classe *Primorum* censentur,
1. Nationis hujus Magnates, hoc est *Comites* ac *Barones*.
 2. *Nobiles Immunes* tributorum, qui recentiore loquendi modo *Nobiles Equestris Ordinis* nuncupari amant. *Hos* inter et *Primipilos* medii quasi censentur *Nobiles Armalistae*, qui videlicet per *Litteras* (ita dictas) *Armales* Nobilitatem praerogativae adepti quidem sunt, et *Nobilibus Unius Sessionis* Hungarorum *Transsilvanorum* aequiparantur; ab anno tamen 1711. (vid. infra §. XXXI. not. 5.) tributo obnoxii sunt, multi eorum.

§. X.

2. *Primipili*, romano quidem vocabulo, sed significatione a Romanorum sensu multum diversa, sic dicti, vernaculo autem sermone *Lófök* sive *Lófük*, (in singulari *Lófö* seu *Löfü*) et *Lovasök*, id est *Equites* nominati, secundi Ordinis *Siculi*, *Equestri Militiae* adscripti fuere: et horum *Classis*, *seminarium* quasi erat *Virorum bellicosissimorum*, *incunabulaque Primorum*, e qua insuper ad *Provincialia* quoque *Officia*, qualia sunt *Sedis*, (ut §. IX. not. 1. dictum) *Adsectoratus*, reliqua una cum *Primoribus*, bene meriti adsumebantur.

1. *Lófö* dictus ex *Lö*, equum, et *fö* sive *fü* caput, vernaculo idiomate significantibus; quod unusquisque *Primipilorum* capitatum, hoc est, viritim, equo uno instructus, castra

stra adire obligaretur. Hi in plurali scribuntur passim etiam *Lóföek* et *Lófejek*; quasi stricte diceret *Equorum capita*.

2. Certe *Adsessores* sive causarum *Judices*, majore numero e *Primipilis*, quam *Primoribus*, deligebantur; uti concludere tuto possumus exemplo *Primariae Sedis Siculo-rum Udvarhelyensis*, cujus et universae *Nationis Conventu*, in *Oppido Székely Udvarhely* die 23. *Novembris* anni 1505 habito, quum e *Primoribus* 4. tantum, e *Primipilis* 13. *Adsessores* pro eadem *Sede* et *Filiali Keresztur*, lecti perhibentur sequenti e latino (quod nusquam hodie reperitur) in hungaricum translato, decreto: *El-végeztük és rendeltük: Hogy az Udvarhely és Keresztur Székén lakó Székely Atyánkfiai-nak, az Elsők közzül négy embereket, és ugyan azon Széken lakó Lófejek közzül tizen-hármat, a' mi Székely Országunknak régi bevett authoritássából, és hatalmából Biráknak, és az Igazság kiszolgáltatásának véghez vite-lére rendeltünk, kik egy summában lesznek tizen heten, a' kik mindenik Székben ez Országban akármí Ronden lévő Személyeknek személyeket és képeket viselyék.*

§. XI.

Pyxidarii sive *Plebeji* in *Litteris Principum* saepius *Pedites Pyxidarii* nominati gentili adpellatione *Község* sive *Kös-ség* item *Köz-népek* (quasi dicas *vulgares populos*) et *Köz-rendek*, nec non *Gyalogok* ac *Darabontok*, (hoc est, *Pedites*), ob ve-

stes uniformes, seculis saltem proximis, in *Rubros* atque *Virides*, (i. e. *Veres* et *Zöld*) distincti, tertium, prioribusque (§. IX. X.) multo numerosiorem, omni aevo efficiebant Militiae Siculicae Ordinem, eumque *Pedestrem*; et simul, nihil hoc praerogativae eorum nobilitari praejudicante, plebeja etiam in Populo Siculico munia obibant. Horum insuper plurimi, quia ob seditionem et ad Hungariae Regem Ferdinandum, posteaque Maximilianum adhaesionem, suffragiis Comitiorum Schaesburgensium, a. 1562, libertate Siculica exciderant, Principisque, et ejus donatione Optimatum dominium, servili cum conditione subierant, *Parasztok*, hoc est, ignobiles sive rustici, passim in actis publicis; deinde verò postquam a. 1599 m. Nov. in Comitibus Albensibus libertatem recuperassent, *Libertini* (*Szabadosok*) etiam frequentissime nominabantur.

1. Hujus Classis homo vocatur hungarice *Darabont* ex germanico *Trabant*, latine vero *Pixidarius*, hoc est, Sclopetarius, e *Büchse* itidem Teutonum, quibus sclopetum, quali Pedites nostri utebantur, hoc nomine notatur.
2. Communiter, atque publicis etiam in literis scribitur per l, non Y, *Pixidarius* et abjecto j, *Plabeus*.

§. XII.

Stantibus firmo pede tribus his Sicularum classibus, an inferioris Ordinis viris ad superiores, *Plebejis* videlicet ad *Primipilos*, et his ad *Primores*, ascendendi gradus dari potuit? Omnino; et quidem tam pacis, quam et cum maxime belli tempore. *Pace* nempe, si Plebejo vel Primipilo utilia Principi servitia navasse contigerit, pro-na ad promotionem via erat, testibus Primipilaribus passim et Armalibus Literis. Si quis porro Primipilorum opulentiorum tres vel plures Primipilatus, (*Lofség,*) hoc est Primipilorum sine liberorum solatio vita functorum, vel etiam aliorum, ob pauperiem, aut aliam aliquam rationem Primipilatui renunciantium, praerogativam Primipilarem, simul cum terreno sive haereditio, comparaverit; tali modo is gradum ad obtinendos Primorum honores fecit. *Bello* vero saepissimo, non solum Primipilis, sed et Pixidariis (his pacis tempore rarius,) praecipua virtutum militarium laude conspicuis, in catalogum Primorum referri contigit feliciter.

1. De Primipilatibus coemi solitis, docemur tam aliis monumentis, omni exceptione majoribus, quam erudito Opusculo manuscripto, testimoniis sulto, Nobilis quondam *Johannes Siménfalvi*, Caussarum advocati consul-

sultissimi; quod sequenti sub Epigraphe innotuit: *REFLEXIONES, de genuina ac Legali Nobilitate Nationis Siculicae ex Legibus fundamentalibus, Actis item Publicis et Judicialibus deductae.* Vid. Benkő Milkovia, Tom. I. p. 61. seqq.

2. Quod uno passu honores *Primipilares* transilire, ac in numerum *Primorum Plebejus* sive *Libertinus* aliquis pervenire potuerit, e pluribus documento sint *Literae Armales Demetrii Ilkei de Wargyas*, ibidem apud *Familiam* adservatae, cujus verba huc facientia sunt: *Demetrium Ilkei ac per eum filios etiam jam natos, e statu et conditione Peditatus et Libertinali — — — elementer eximendos, in coetum et numerum verorum et indubitatorum — — — Nobilium annumerandos — — — duximus* — 18. Febr. 1651. *Georgius Rakoczi.*

§. XIII.

Promotiones autem ex Ordine detiore ad superiores, de bona olim consuetudine fiebant per Comites Siculorum, qui saepius *Wajvodae* simul *Transsilvaniae* erant. Hi nullas quidem super inde *Literas Privilegiales* impertiebantur; sed auctoritate sibi a *Regibus Hungariae*, speciatim *Mathia Corvino*, concessa, personas optime meritas in *Tabulam Lustrationis*, sive *Regestrum Armilustrii*, hujus vel illius Ordinis, publica in congressione referebant. Nec ante disjunctionem *Transsilvaniae* ab Hun-

Hungaria *Armales*, vel *Primipilares* (quorum vel nomen erat inauditum) Literae cuiquam concedebantur: nec ulla necessitas Siculos ad eas efflagitandas ac amplectendas impulit unquam. His utinam caruissent originarii et perpetui Nobiles, quos revera non Reges, non Principes poterant reddere nobiliores. Patrii nihilominus Principes, quos praesertim alternandis fortunae casus terribant, eo immodicae sane liberalitatis processerunt; ut ejusmodi Literas distribuerent prodigaliter.

1. Quo olim modo promotiones ad perdictos Ordines fiebant; quibusque immunitatibus veri Siculi gaudebant, non obscure docet Mandatum Mathiae I. Regis quod, ut inferius dicendis quoque lumen insigne spargat subnectere placet. En illud cum orthographia, (quam retinere consultum ducimus) autographi:

„Commissio pp. Dni, (*propria Domini*) Regis

„**N**os Mathias Dei gracia Rex Hungariae, Bohemiae, etc. Fideli nostro Mfico (*Magnifico*) Blasio Magiar de Mera, Vajvode nostro Tranno (*Transsilvano*) et Commi Siculorum, ejusque vices gerentibus, Salutem et Graciam. Querulose nobis exponitur a parte Fidelium nororum (*nostrorum*) Siculorum Equitum atque Peditum de Sedibus Wudarheli et Maros, in castris nostris praesentium, quomodo ipsos nonnulli

„e Primoribus suae Nationis, exactionibus
 „pecuniariis gravare tentassent, et quo mo-
 „do preterea ordo eorum trium Generum
 „labefactaretur. Cum igitur praecipua con-
 „ditio regalis nostrae cure sit, ut omnes
 „et singuli Fideles, statum nrum (*nostrum*)
 „regium promoventes, premii condigni vi-
 „cem accipiant; Ideo consideratis summa
 „fide, et strenuo semper belligerandi stu-
 „dio dictorum fidelium nostrorum univer-
 „sorumque Siculorum, Fidelitatibus vestris
 „harum serie mandamus firmissime, ut vi-
 „sis presentibus, sine cessatione medelam
 „adhibeatis, et quidem; Quo ad *primum*,
 „si quidem Fideles nostri Siculi, nullis
 „prorsus pecuniariis exactationibus, sive
 „nobis, sive Hominibus nostris obstructi a
 „perpetuis temporibus dignoscantur, nisi
 „spontaneis et promptis oblationibus ad no-
 „stri et aliorum Sereniss. Regum Hunga-
 „riae Conjugiorum et Natorum hilaria, nec
 „non juxta redituum suorum equitatem ad
 „Legationes ab illis et ad illos, uti illud
 „ex aliis Literis nris (*nostris*) ipsis in for-
 „mam Privilegii redactis, uberius intelli-
 „gere poteritis: quam ob rem omnes exa-
 „ctiones, per publicam vocem, sub gravis-
 „sima pena interdicatis, ita ut si nihilo-
 „minus forent aliquo tpre (*tempore*) reper-
 „ti tales, qui contrarium facerent, illi eo
 „facto, juxta consuetudinem ipsorum, om-
 „nibus bonis evertentur; Quoad *alterum*
 „vero, facta per Vos sine mora generali
 „collustratione Fidelium nostrorum Siculo-
 „rum Equites in suo statu a majoribus pro-
 „generatos in seorsivas tabulas referatis,
 „qui propter permansuram distinctionem
 „Primipili vocabuntur, Pedites rursus in
 „ali-

„alias tabulas quas nemo Primorum suo
 „arbitrio alterabit, perpetuam alioquin in-
 „famiam ineursurus; nec ex his vero, nisi
 „Vajvodarum nostrorum Transsilvanorum et
 „Comitum Sicularum pro tempore consti-
 „tutorum, ac in futurum constituendorum,
 „nec ex illis, nisi tres terre sortes et fa-
 „cultates habere dignoscantur, dictorum
 „itidem Vajvodarum nostrorum scitu, ad
 „superiorem gradum ascendere valebunt.
 „In his secus nullo modo facturi, et tabu-
 „las, quas confeceritis, ad nos etiam trans-
 „missuri. Presentibus perlectis, exhiben-
 „tibus restitutis. Datum in Castris nostris
 „ad obsidionem fortalitii Modra metatis,
 „seria quinta proxima post Festum conce-
 „ptionis Beate Marie Virginis, Anno Do-
 „mini Millesimo Quadragesimo Septuage-
 „simo Tertio, Regnorum vero nror. (*nostrorum*)
 „Anno Hungarie Sexto Decimo, Bo-
 „hemiae Quinto.“

Mathias m. p.

(L. S.)

C A P V T III.

DE MVNIIS et OBLIGATIONIBUS
SICVLORVM.

§. XIV.

Natio Sicularum Terram, quam incolit,
 effuso largo sanguine adquisitam, quia e-
 rat ab omni popularium suorum commu-
 nio-

nione et mutui auxilii spe procul dissita, non aliter, quam infinitorum ferme laborum molestiis, in medio infensorum sibi populorum, per tot seculorum decursum, propugnare ac tutari potuit. Necesse igitur fuit, ut Gens universa, ceu tanto oneri ferendo haud multa, junctis unanimiter viribus, tuitione Patriae incumberet; nec esset quispiam, cui curarum laborumque pars, ad conservandam rem publicam pro virili supportanda, non obtineret. Mirum proinde videri nequit, Nationem Siculicam, in campo Martis natam, ita armis atque bellis fuisse innutritam, ut totum ferme Genus masculinum *trium Ordinum*, sepositis creberrime, et sexui sequiori concreditae rei domesticae agrariaeque curis, castris identidem inserviret.

1. *Generatim* num primum de muneribus Sicularum *trium Ordinum* succincte, et quidem, quoad propinquiora secula, e testimoniis Decretorum Comitialium, quae vulgo *Articuli Diaetales* audiunt, agendum.

§. XV.

Sic adeoque cunctorum in concreto Sicularum, armis gerendis aptorum, munus erat, quidquid belligerandi studia et opera poscebant, alacriter ferre, ita quidem ut:

1. Quoties necessitas exigeret, vel generalis Insurrectio mandaretur, per singula capita seu viritim ad bella iretur: relictis nihilominus sufficientibus ad custodiam Locorum Siculicalium armatis.

2. Ab a. 1555 ad 1597, quinta, ab hoc vero anno aliquamdiu vicesima Gentis pars, ad insurgendum obligaretur. Sed

3. Ex hoc tempore, ad initium labentis seculi, sub continuis per aetates Principum vicissitudinibus, varius adeo fuit militandi modus, ut angustae hujus Opusculi paginae capere nequeant.

1. Jam speciatim.

§. XVI.

1. Ad PRIMORES quod adtinet; hi, quoties Primipili et Pixidarii per singula capita insurgebant, non modo viritim, sed prout erant pluribus vel paucioribus Primipilatibus (§. XII. *Loföség*) atque ita bonis ac haereditatibus pollentes, tribus, quatuor, quinque *etc.* equis, hoc est, Equitibus, a proportione facultatum suarum, armisque bene instructi, bellis interesse tenebantur: nisi quis eorum, gesto civili aliquo Magistratu, puta, Judicatu Regio, *cet* (§. IX.,) vel Legatione publica, pro lege et consuetudine Gentis suscipienda, abstraheretur.

1. Hanc Primorum insurgendi rationem, et dimensam pro eorundem equis solutionem, docet Articulus 3tius a. 1562 mense Junio Segesuáriní conditus, cujus sequentia sunt verba: *Az Fő népek is az ő rendjeknek és állapottyoknak mivelta szerént, ki három lóval, ki négygyel, ki ötten, legyenek készen, jó szerrel; kiknek mi esztendő által, egy egy lóra nyóltz nyóltz forintot adotunk. Mikor pedig Országunk szüksége kívánnya, és szólgálatban lésznek, két két forint hó pénzt adotunk nékik.*
2. Primores hi, seculo superiore ad particularia bella insurgere recusabant; ideoque a Primipilis et Pyxidariis in curia Principis adcusabantur: quam ob causam *Commissarii* quoque ad rem pervestigandam et componendam in Comitia Provinciae ad diem 1. Dec. 1670 Albam Juliam conducta fuere ordinati. Rem totam ad eruditionem nostram historicam, Articulus ejusdem Dietae 24tus, typis chalcographicis mandatus, his ad Literam verbis exprimit: *Székely Atyánkfiainak lévén illen bántodási, hogy az Nemessi rend particularis insurrectiokor ennek előtte való időkben székekben fel nem ült, de némely helyeken nem kicsin meg bántodásokat érezvén, egyszer s' mind Privilegiomok elénis tapasztalván lenni, arra erőltetnének, hogy azért Nagyságod azon dolognak meg vizsgálására, ha az Tisztek ellen való panasz méltó e' avagy nem, és meg-orvoslására is Commissariusul rendelte Betsületes Tanacs Ur hiveit, Béli Pál, Haller Pál, és Nagy Thamás Atyánkfiait, Nagyságodnak alázatossan meg-szolgáallyuk.*

Gyakor Mustrákkal penig azon Székely Atyáknkfiái ne terhelteessenek, és az Székeknek határán kívül mustrára menni ne tartozzanak, hanem ha az Nagysúgod parantsolattyára.

§. XVII.

2. PRIMIPILI, equis quidem insidentes, et armis idoneis instructi, ad bella progrediebantur (§. X.) postremis tamen temporibus, quoniam numerus Peditum per promotiones (§. XII.) erat inminutus, inter Pedites quoque, dum oportebat, militare obstringebantur, hincque *Primipili Pixidarii* vocabantur.

. Talem eorum adparatum bellicum doceent complurium Primipilarium Privilegiorum, circa medium seculi 17-mi emanatorum verba, ad literam sic sonantia: *Ita tamen, ut ipsi (Primipili) haeredesque et posteritates ipsorum universi, bonis equis, frameis, sclopetis longis, pulveribus ac globis sufficientibus bene instructi, omnibus bellicis expeditionibus, tam generalibus, quam partialibus, pro necessitate Regni suscipiendis, ad mandata nostra, successorumque nostrorum semper interesse, et si res postulaverit, equis descendere, et more peditum fidelem patriae operam navare debeant, et sint adstricti.*

2. Paulo alium eorum adparatum dudum antea fuisse, constantem nempe *equis, loricis, cassidibus, scutis, et hastis*, comperimus ex Articulo 3. Comitiorum a. 1562 m. Jun. qui sequentis est tenoris: *Ök-is (Lófejek) Lovak,*

vakkal, pánczéllal, sisakkal, paissal, kopjakkal, hadakozóképen jó móddal készen legyenek mindenkor; ugy hogy minden löfő az ő löfőségéről, az mi parantsolatunkra, és Országunk szükségére valamikor kellettendének, egy egy lóval indulhassanak; kik egy Holnapon az ő költségeken éljenek, azutan mi nélkül minden Hóra (Honapra) segítségül egy egy forintot adatunk.

3. De Primipilis vero depauperatis et equo destitutis, inter Pedites militare obligatis, atque redeunte ipsorum fortuna in integrum statum Primipilarem restituendis, luculenter nos conducet Lex (*Articulus*) 24. Dietae m. Novembri Anni 1670 celebratae, in haec verba promulgata: *Ugyan Székely Atyánszfiai régi szabadságoknak esmérven lenni, hogy mikor vitézljő rend meg fogyatkozott, 's lovok nem völt, az Gyalog Löfők között szolgáltak, és üdövel meg épülvén viszont szabadságokban állot, helyekben állások. Némely Székekben pedig, nevezet szerint Csikban, az Hámorosok és Eör állók közzé álván; ha mikor Zászló alá vissza akarnának menni, az Hámoros Tiszt és az Harminczodos meg nem engedik. Azért bocsáttassanak vissza, és az Zászló alá vétessenek bé az olyanak is.*

§. XVIII.

Praeter munia militaria, plebejis etiam quibusdam Obligationibus fuerunt obnoxii, uti sunt: Judicem sive Praetorem Pagi (*Falus Biró*) agere, ubi numerus Plebejorum nimium esset diminutus; cui oneri

ri *Armalistae* quoque unius Sessionis, (qui *Primores* inter ac *Principilos* gradum aliqualem habent,) hoc in casu subjacent; captivos porro deportare; expensasque una cum Plebejis, euntibus ad Comitiam Primoribus contribuere, et si quae fuerint alia.

1. Haec omnia Decretis Comitialibus nituntur. Vid. *Approb. et Compil. Constit.*

§. XIX.

3. PLEBEJI sive PIXIDARII, Pedestris Militia Nationalis, §. XI. praeter arma militaria, plebeja quoque munia, tam §pho XVIII. commemorata obibant, quam insuper viarum publicarum reparationibus incumbabant, campos vetitos atque sementes custodiebant, impedimenta militaria currubus vehebant, et quod maximum est, post disjunctionem Transsilvaniae ab Hungaria, tributa etiam, non continuis licet temporibus solvebant, ac solvunt. Praecipua tamen horum quoque obligatio fuit bellica. Unde ne ad pauciores numerum, cum detrimento communis Patriae redigerentur, sedulo Principes attendebant.

1. Scilicet, dudum erat lege cautum, quod si Sículus (agitur de Plebejo) militiae se subtraheret, Dominoque *Directo*, qui stilo Transsilvanorum *Torrestris* nominatur, semet venderet, inde quidem per Generalem eximeretur; at si altera rursus vice idem faceret, morte puniretur. Lex Comitialis,

a. 1608 m. Sept. lata, sic rem hanc exprimit: *Jelenti Nagyságod, hogy az Székelység közül sokan az Ország szolgáltyától magokat meg-vonván, szabad akaratyok szerént magokat jobbágyá tették, ki miatt az közönséges dologban fogyatkozás esik. Tettzeit azért, hogy Generalis Urammal Nagyságod ciredl-tassa-meg, és az hól az féle találkozik, foglalja ki az Ura kezéből és réstituálja priori statui; ha pedig mászor megpróbálja, hogy ismég jobbágyságra adja magát, halállal büntetessék meg.*

§. XX.

Peculiare denique admodum erat, ut a memoria hominum, vi libertatis Siculicae, quae nullum admittebat genus tributi pecuniarii, pecuaria illud Primipili juxta ac Plebeji oblatione compensarent. Nam, 1. Tempore coronationis novo Regi. 2. Occasione matrimonii sponso Regi. 3. Dum Regina masculum primogenitum peperisset, aulae regiae, sextum quemque bovem (e quadrimatis et grandioribus) conferebant. Et haec, hungarice *Ökör sütés*, latine *Signatura boum*, dici consueverat: quod bovis sorte Regi obvedientibus stigma fuerit inustum.

1. Posteriorum duarum *Oblationum* meminisse arbitror Regem Mathiam in Mandati, §. XIII. not. 1. recitati verbis: *Conjugiorum et Natorum hitoria*. Sed hujusmodi Oblata Regibus rarissime alias, tempore vero arden-

dentium et recenter extinctorum bellorum, Principibus item patriis nunquam facta deprehenduntur. Non *tributa*, non *taxas*, sed *oblata* profecto pronunciamus ex ipsa lege atque Gentis consuetudine: quum Siculi non inviti, non coacti, sed propria sua sponte boves ejusmodi occasionibus dono dederint, juxta citatum proxime, perplurima inter documenta, Mandatum Mathianum. Huc collimant dubio procul verba *Nicolai Olahi*, Metropolitanæ Strigoniensis, qui in suo *Attila*, Cap. 18. hæc loquitur: „Tributum nemini, nec Regi, nec aliis „pendunt, præterquam quod, quum Rex „coronatur Hungariæ, aut uxorem ducit, „aut nascitur ei filius, viritum (*si sex ha- „beant*) singulos (n. b.) *conferunt* Regi bo- „ves. Verum id quoque non sine magna „difficultate plerumque faciunt. Sed *An- „tonius Bonfinius*, qui in publica Regni „Hungarici luce versatus, in aula enim Re- „gis Mathiæ proxime laudati vivebat et „scribebat, longe adhuc luculentius perhi- „bere poterat testimonium, verbis sequen- „tibus de Sicularum immunitatibus, ac bo- „bus non ex debito ab ipsis, sed precario „in rationem Regum obtinendis, ad finem „*Libri I. Decadis I. Rerum Ungaricarum*, „agit:

„Scythuli quoque populi, e Scythis in- „geniis oriundi, quandoquidem adhuc ser- „vitutis ignari sunt, nullaque regi stipen- „dia nunc expendunt, nisi quandoque do- „mesticatim bovem, et illum quidem non „edicto imperatum, sed precario nomine, „postulante quasi regni necessitate, exo- „ratum.“

2. Priores duas commemorat Articulus Diaetalis 4tus de a. 1599 20. Nov. in quo Michaeli Valachiae Transalpinae Wajvodae, et Transsilvaniae tyranno, Status Provinciae metu perculti, primi generis oblationem concedunt. *Articulus ille sic habet. Miért-hogy pedig a' Székelységnek szabadságát megadta Nagyságod, azoknak régi szabadságok szerént, a memoria hominum ilyen Törvények vólt, hogy mikoron Fejedelem változott, avagy meg házasodott, minden hat ökörnek egyikét a' Fejedelem számára szedtek, kit ők ugyan ökör sütésnek hívták, mellyet Nagyságod most-is fel szedessen, Udvarának és Haddának jó rész szükséges Nagyságod véllő meg éri.*

3. Plura hanc in rem dicere possem, e Privilegialibus Literis Michaelis illius pessime memoriae, quas hoc anno dedit Plebejis Sedis Udvarhely, in cujus tabulario originales adservantur: sed nunc neq locus, nec tempus suppetit. Conf. BENKŐ *Transsilvaniae* Tom. 1. pag. 428.

C A P V T III.

DE JVRIBVS, IMMVNITATIBVS.

A T Q V E

PRIVILEGIIS SICVLORVM.

§. XX.

Quum Natio Sicularum, ex praemissis, ea dignoscatur, quae Terram suam, jure bel-

belli, multoque cruore, et vetustissimo a deo tempore occupaverit, ut et Regno Regibusque Hungariae, et Principatu Principibusque Transsilvaniae longe sit antiquior; (§. VII.—VIII.;) occupatam vero, formatam, quibus cum decore ac emolumento respublica administraretur, Ordinibus (§. VIII.—XIII,) innumeris curarum myriadibus, ac gestis muniis gravissimis (XIV—XIX,) propugnaverit et conservaverit; seque demum, ac Terram simul suam liberam, ultro Regibus ac Principibus tradiderit (§. VII.) merito sane laborum et sudorum suorum fructibus utitur, hoc est, praecipuis Jurebus atque Libertatibus gaudet; quibus profecto sub priscis Hungariae Regibus amplius, et condigne quidem fruebantur.

1. Immunitates Sicularum hujus aevi, Auctor *Novae Daciae*, pag. 5 his non immerito innuit: *Siculi — — — de sua libertate amplius gloriantur, quam ea fruuntur.*

§. XXII.

Sicularum trium Generum (§. VIII.) in universum praemium, quod a propriis virtutibus obtinuerunt, nec ab alio quopiam mutuati sunt, est utique ut omnes illi, ad infimum usque *veri, nati ac privilegiati Nobiles* censeantur (§. IV. et VIII. not. 1.;) consequenterque omnibus iis praerogati-

vis, juribus ac libertatibus, quibus ceteri indubii Nobiles Regni Hungariae et Transsilvaniae pollent, dignissime gaudeant.

1. De Juribus et Immunitatibus Nobilium Hungariae ac Transsilvaniae, agit universe *Decretum Tripartitum*, Part. 1. Tit. 9 et P. 2. T. 38. Nos hic carptim et speciatim de Sicularum Nobilitate: praemissa *Nicolai Olahi* Archiepiscopi Strigoniensis, hanc in rem sententia, quam Cap. 17. suae *Attilae* sic expromit: „Volunt se omnes haberi in-
„genuos, utpote, qui sint veterum Hun-
„norum reliquiae. Nec abs re ea uti cu-
„rant libertatis praerogativa. Neminem e-
„nim patiuntur inter se libertate esse su-
„periozem. Minimus eorum eam habet in-
„ter eos immunitatem, quam maximus.

§. XXIII.

Sicularum adeoque praecipuae Praerogativae sunt,

a. Personales.

1. Quod ipsi, nisi citati sive evocati, ordineque judiciario condemnati fuerint, in eorum personis nusquam et per neminem detineri possint.

1. Violatur tamen haec libertas in factis criminalibus, puta: homicidio deliberato; villarum combustione; furto et rapina; atque etiam violento adulterio; in quibus honor libertasque Nobilitatis amittitur.

2. Hinc, *Lex Consuetudinaria*, num. 36 statuit, haereditarium Siculum ne in Tabula quidem Wajvodali (adde, *Principali*,) extra casum sententiae mortem inferentis, detineri posse. Verba Legis ad literam sunt: *Az örökös Székely meg-ne tartassék a' Vajda Urak Tábláján; hanem ha halált érdemlene.*

§. XXIV.

2. Quod nemo Siculorum in praesentiam Wajvodae, aut Comitis Siculorum (consequenter aevo nostro ad *Tabulam Regiam*, Mandato evocatorio,) ut nominantur) evocari queat: sed Causa cujuslibet in Sede competente primum inchoetur, et illinc appelletur.

1. *Lex Consuetudinaria*, num. 6 est: *Parancsolattul senkit se hivassanak, se Vajda Urak, se Ispán oleibe, hanem kit kit Szekin keressenek előbbször; és a' ki mit nem igazol, az kérdőjével mehessen el, Ország Törvénye szerént.*

§. XXV.

3. Quod Officia quaelibet, Civilium aequae ac Bellicarum rerum administrationi admovenda, non extranei sanguinis hominibus, sed haereditariis Siculis conferrentur.

1. Jus hoc, Siculicae Nationi ex toto olim proprium, ita seculo superiore temperatum est, ut Officiales Militiae Primarios, veluti

ti *Generales et Capitaneos*, Princeps ipse quidem, sed e sola Inclita Natione, *Supremos Judices Regios* vero ipsimet Siculi crearent. Vid. *Approb. Part 2. Tit. I. Art. 5. 6. 7. et Compil. Constit. P. 2. Tit. I. Art. 1. 2. 4.*

2. Debitum huic Juri robur addidit Magnus Leopoldus Augustus, Puncto 5. Diplomatis, a. 1691, 4. Dec. Transsilvanis dati, quod sequentia loquitur: *In omnibus*, sive „ad Politiam sive ad Justitiam vel Oeconomiam administrandam necessariis officiis, utentur Indigenis Transsilvanis, Hungaris n. p. Siculis ac Saxonibus nullo habito Religionis respectu, neque exterarum Nationes, aut quae Nobiscum ab illis inter Exteras et inhabiles dignoscuntur ad honores et munera, quotiescunque ea vacare contigerit praevalerunt: salva tamen nostra, cum illorum consensu ad recipiendum in Matriculam commendatione.

§. XXVI.

4. Quod Sículus militans, Transsilvaniae, communis videlicet cum duabus aliis Nationibus Hereditaria et Unita (§. Patriae finibus non aliter, nisi tutandae ipsius Provinciae ratio exigat, ad exterarum regiones ducatur.

1. Hanc Immunitatem totidem ferme verbis probavit Aug. Leopoldus Imperator, Puncto 15 benignae *Resolutionis*, Illustri Petro Alvintzi de Borberek, Statuum Ablegato, tra-

traditae, cujus haec est sententia: 15 *Consentit vicissim Sua Majestas clementissimo, ut Siculi Transsilvaniae finibus non educantur nisi Patriae ipsius tutandae ratio et necessitas id postularent.*

§. XXVII.

His licet et pluribus Immunitatibus Siculi ab olim a praeclaris undique gestis suis praemiati fuerint: quum tamen *Nobilitium Hungarorum Homagium* 200 florenos hungaricos (*Decret. Tripart. P. 1. T. 2.*) faciat, *Siculorum*, quod miraberis, *Homagia* viginti et quinque florenis compensantur. *Dec. Trip. Part. 3. Tit. 4.*

1. Non est, quod miremur, hanc Homagiorum differentiam. Siculi namque, qui salutare suo in gremio leges condendi jure nunquam destituebantur, ut plura alia, sic etiam Homagii valorem, Gentis suae statui, ut duxere consultius, adcommodarunt.
2. De Homagiis vide, si placet, P. Joannem Szegedi, *Tripartiti Juris Ungarici Tyrocinii Part. 3. Tit. 5.* erudite disserentem.

§. XXVIII.

b. Reales.

E Realibus Immunitatibus, quae scilicet, civilia, judicialia et oeconomica spectant jura, sequentes pro specimine sunt.

1. Quod

1. Quod Siculus ne per *notam* quidem *infidelitatis*, ob quam capite plectitur, Bona haereditaria amittat; sed ad haeredes fratresque ejus deriventur. *Decret. Tripart. Part. 3. Tit. 4.*

1. Numero 30 *Legum Consuetudinariarum Nationis*, sic haec jus dicitur: *Székely ember, örökségét semmiképpen el-nem vesztheti; ha fejét hitetlenségéért elveszténé-is: hanem Attyafaira marad.* Sed hanc legem a. 1562 in Comitibus Schaesburgensibus (§ .XI. sublatam esse non ignoramus).

§. XXIX.

2. Quod Haereditas Siculica *Filios* tantum concernat; *Filiabus* honeste solum e Bonis paternis emaritatis. Si vero solas *Filias* quispiam reliquerit, iisdem haereditium paternum ex integro competat. Et hoc jus *Praefectio Filiarum* dicitur. *Leg. Consuetud. num. 20.*

1. Juris hujus fundamentum est e Militia repetendum. Mares nempe, non Feminae, agrum Siculicum expugnarunt et propugnarunt.

§. XXX.

3. Quod *Jus Regium*, vi cujus in Bonis sine semine deficientium et notam *Infidelitatis* incurrentium, Imperans succedit,

dit, locum in Haereditatibus Siculicis non habeat: nisi quis Jus illud spontanea voluntate (*praepostere*) in sua Bona invexerit. Siculo igitur sine Liberis mortuo, Fratres, vel, si nec ii fuerint, Vicini succedunt.

1. *Vid. Approb. Constit. Part. 3. Tit. 76. et Artic. 25. an. 1571. Fest. S. Elisabethae Claudiopoli pronunciatus.*

2. *Ne Publicatio Defectus Seminis, ut vocatur, locum unquam inter Siculos, contra primigeniam eorum Libertatem, obtineret, Litteris sollemnibus cavit Princeps Georgius I. Rákoczi an. 1636 quarum haec est sententia:*

„**N**os Georgius Rákoczi, Dei Gratia Princeps Transsilvaniae, Partium Regni Hungariae Dominus, et Siculorum Comes, *etc.* Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis. Quod cum sub anni proxime evoluti Comitiis Generalibus in Civitate nostra Alba Julia in Mense Majo celebratis, Spectabilis ac Magnificus quondam Franciscus Miko de Hidvég, tunc Consiliarius ac Cubicularius noster Supremus, Sediumque Siculicalium Csik, Gyergyó, Kászón, Supremus Capitaneus, ac Fidelis noster sincere Dilectus, Generosus Michaël Thóldalagi de Ertse, Consiliarius noster, ac Sedis Siculicalis Marus
Su-

„Supremus Capitaneus, nominibus et in
 „personis Fidelium nostrorum sincere no-
 „bis Dilectorum Universorum, Generoso-
 „rum, Egregiorum, Nobilium et Agilium,
 „Potiorum, Primipilorum, Peditumque Pi-
 „xidariorum nostrorum, ubivis in Regno
 „nostro Transsilvaniae, signanter vero in
 „septem Sedibus Siculicalibus constituto-
 „rum et residentium, de restituenda anti-
 „quissima ipsorum libertate subnotanda hu-
 „militer requisivissent, postea vero sub
 „proxima Lustratione etiam Generali, di-
 „ctorum universorum Dominorum Siculo-
 „rum, novissime cum in Sede Siculicali A-
 „ranias Lustrationem continuaremus, non-
 „nulli Fideles Nostri, nomine totius uni-
 „versitatis Dominorum Siculorum, modo
 „praemisso apud nos institissent, benigne
 „inclinati, considerantes etiam ac in ani-
 „mo nostro revolventes Regum et Princi-
 „pum erga suos optime meritos Subditos
 „Benignitatem et Liberalitatem, Subdito-
 „rum vicissim erga suos Principes prae-
 „claram fidem et integritatem, indeque na-
 „tam inserviendi et gratificandi iisdem a-
 „lacritatem, vinculo quodam propemodum
 „indissolubili ita esse connexam, prouti
 „altera ex altera dignatur, foveatur, au-
 „gescat atque conservetur. Quo igitur no-
 „stra ex parte potius et prius Benignitas
 „nostra incipiat suos producere fructus,
 di-

„dictorumque Fidelium nostrorum Siculo-
 „rum fidelissima obsequia erga nos acce-
 „deret, quos certo intelligimus, felicitatis re-
 „miniscentiae Principibus suis, Regni No-
 „stri, praedecessoribus nostris summa fi-
 „de et integritate, nec minori Militaris
 „Fortitudinis laude inservivisse, nobis eti-
 „am a felicitatis Principatus nostri ab Altis-
 „simo nobis commisso principio, omnium
 „fidelissimorum Subditorum, ac Patriae sa-
 „lutis amantissimorum Civium officia no-
 „bis strenue laudabiliterque praestitisse,
 „spem sane fovemus optimam, in ipsos
 „universos Dominos Siculos, et avita ip-
 „sorum bellicae fortitudinis laude, et no-
 „stra in illos propensissima liberalitate gra-
 „te commonefactos: Ad omnia virtutis,
 „fortitudinis, praeclarae fidei et fidelita-
 „tis illibata officia, contra omnes nostros et
 „Patriae charissimae aemulos et hostes a-
 „lacriter praestanda certatim concursuros,
 „nobisque, ac successoribus nostris, Le-
 „gitimis Transsylvaniae Principibus, sum-
 „ma semper constantia et fidelitate adhae-
 „suros esse. Quorum omnium ob respe-
 „ctum, liberalitatisque nostrae ab ipsis de-
 „sideratae evidentissimum sempiternumque
 „testimonium, praefatae Universitati Do-
 „minorum Siculorum, eorumque Posteri-
 „tatibus utriusque Sexus universis, eam
 „Libertatem et Immunitatis praerogativam

„in forma perpetui nostri Privilegii beni-
 „gne dandam, concedendam, donandam
 „conferendamque duximus, ut nullo un-
 „quam deinceps tempore publicatio Defe-
 „ctus seminis quorumcunque sine semine
 „deficientium inter eosdem Dominos Sicu-
 „los institui peragique, sed nec bonorum
 „eorundem deficientium statutio aliqua aut
 „occupatio in rationem Fisci nostri, et
 „Successorum nostrorum, Legitimorum
 „Transsylvaniae Principum, fieri possit,
 „et peragatur. Sed eorum sine semine de-
 „ficientium Bona in suae Generationis utri-
 „usque Sexus Homines, more tamen et
 „consuetudine ipsorum antiquissimo obser-
 „vato condescendant atque devolvantur.
 „Prout Praenotatae toti Dominorum Sicu-
 „lorum Universitati, eorumque Posteris et
 „Haeredibus utriusque Sexus universis,
 „damus, donamus, concedimus et confe-
 „rimus, et Praesentes hasce nostras Do-
 „nationales loco perpetui Privilegii ipsis in-
 „dulgemus, tam in communi omnibus et
 „singulis, quam etiam singulis Sedibus Si-
 „cucalibus seorsim observandas. Quemad-
 „modum hasce etiam praesentes Litteras
 „Donationales Privilegiales universis Fide-
 „libus nostris Dominis Siculis in tribus Se-
 „dibus Sicucalibus, Sepsi, Kézdi et Or-
 „bai existentibus et degentibus, in forma
 „Privilegii nostri perpetui extradandas es-

„se duximus. Harum nostrarum vigore et
 „testimonio Literarum mediante. Datum
 „in Arce nostra Szamos-Ujvár. Die trige-
 „sima mensis Januarii, Anno Domini Mil-
 „lesimo Sexcentesimo Trigesimo Sexto.

Georgius Rákoczi, mpr.

(L. S.)

Publicatae fuerunt hae Literae anno 1636 die
 6ta Februarii, in Pago *Maxa* Sedis Siculi-
 calis Hézdi, Congregatione Trium Sedium
 Siculicalium Sepsi, Hézdi, et Orbai.

§. XXXI.

4. Quod Gens Sicula, tanquam homi-
 nes bello servientes, omnium *Tributorum*
immunes vivant; juxta Ferdinandianorum
 Commissariorum *Relationem* (§. VIII. not.
 1.) Mathiae item Regis Privilegium (§. XIII.
 not. 1.) et Punctum 14tum Diplomatis Leo-
 poldini, in haec verba concepti: „Siculi
 „genus Hominum bellicosissimum, ab om-
 „ni Tributo, Hybernorum aut Aestivorum
 „molestia, a Decimis et praestationibus,
 „ratione Bonorum, quae cum onere in-
 „surgendi possident, velut hactenus, ita in
 „posterum sint penitus exempti. E contra,
 „pro tuenda Patria propriis impensis mili-
 „tare, obstricti permaneant, non tamen
 „subintellectis Rusticis vel Jobbagionibus
 „Siculis.

1. Alienum a vero cuiquam videri posset, dum audit, Siculos tributi obnoxios non fuisse, nisi verba Diplomatis in medium adlata intercederent: Articuli namque Diaetales, qui solvenda per Siculos tributa commemorant, frequenter deprehenduntur; ac *Approbatæ, Compilataeque Constitutiones* etiam idem arguunt. Quid ergo jam respondebimus? Dicimus strictim, Gentem Sicularum triplicis esse Ordinis (§. VIII.) quorum tamen nullus ante avulsionem Transsilvaniae ab Hungarico Regno fuit tributarius. Verum per disjunctionem ab Hungaria una cum limitibus Provinciae coarctatis Isabellae Reginae, et pupilli Johannis Sigismundi rebus, in hanc Unionis formam Tres Nationes Provinciales, puta, Hungarica, Siculica, et Saxonica, a. 1544 (non 1545 ut habet *Extractus Simonianus* Articulorum Diaetalium) in Comitibus Generalibus ad Festum S. Georgii Martyris Thordam indictis, consenserunt: „Cum una Nobis „omnibus Patria sit, unamque ab omnibus „charitatem illa desideret; necesse est, ut „pari studio, et diligentia causam Patriae „quilibet tuendam suscipiat, nemoque se ab „his, quae conservationem Patriae respiciunt, subducat: idque sive defensionem, „sive pecuniariam solutionem, sive aliquid „aliud ejusdem temporis conditio postulaverit, deliberatum est, ut ejusmodi onera „patriae, juxta antiquam consuetudinem, „et constitutionem Regni, omnes tres Nationes aequaliter perferant; cum utilitas, „quae ex conservatione Regni esse consuevit, ad omnes ex aequo pertineat.“
2. Negari proinde nequit, Contributiones in Terra Sicularum collectas fuisse; sed utrum ab omnibus? et num continuis tem-

poribus? Minime gentium. Tributarii certe fuerunt tertii Ordinis Siculi, i. e. Plebeji; sed nec hi semper, et de jure, verum extraordinariis in Casibus solum sponte. Nam in recitato (*not. b.*) Unionis Articulo, quod per Siculos solus eorum Ordo Plebejus intelligatur, pulchre profecto condiscimus ex Articulo 7mo Comitiorum, a. 1608 d. 3. Mart. Claudiopolim congregatorum, ubi decernitur, Siculos Plebejos in Congregatione Nationis suae. ad Festum S. Georgii in Udvarhely celebranda per Commissarium Principis requiri. ut secundum dictamen Unionis Nationalis, ceterorum Regnicolarum sortis miserti, opem in ferendo tributo ne subtrahant. Qui dulcius ex ipso fonte rem haurire avent, hi ipsum Decretum Comitiale sic ex authentico exemplo legere velint: *A' köz Székelséget pedig Nagyságod Fő Embere, Commissarius-sa által, találtassa-meg Udvarhelyt, holott eő nékik közönséges Gyűlések lézen Szent György nap előti való Heifön, hogy az Unio-nak tártása szerint az Országnok több részait meg-szánván, a' kik ebben a' terh viselésben edgyet értenek, ök-is ebbéli segítségeket meg-ne vonnyák.* Hunc in modum aliae quoque per plurimae Conventuum sanctiones, quarum stilo, sub nomine *Siculorum*, universam forte primo obtutu Nationem intelligere quispiam posset, de solis utique Plebejis loquuntur.

3. Primorum et verorum Primipilorum a publica Contributione immunitatem clare etiam comperimus ex Actis Comitiorum ad diem 12. Junii 1559 Albam Juliam indictorum; ubi declaratur,

„Quod Siculi, relictis Articulis Thor-
 „densibus, super impositione Taxae 12000
 „florenorum, quam solita consuetudine prae-
 „stabant, Primores eorum Inquilinos pro-
